Doctissimo Bacchalario Beltrano Tristano, Grãmaticę in suo Collegio professori, Alfonsus Torres Turriculanus. S. P. D.



Mportunis à me precibus efflagitasti, doctissime Beltrane, ut quãdo amplissimi huius Diui I*sidori Collegij patronus essem, tenerer q; ex cura moderationis mihi iniũcta, publicis scholasticorum emolumentis & rationibus consulere, breues quosdam in quartum* Ne*brissensis commentarios conficerem : quibus putida illa, ne dicam barbara, quorundam* Grammaticorũ *præcepta ex nostra schola in sua sterquilinia relegarentur, & tenera puerorũ ætas à tam graui annotationum mole, onerosis quæstionibus libera, ad germanam eloquentiam,* Romani *sermonis uenustatem, politiores deinceps* Mu*sas formaretur.* Quæ *tua petitio tantum mihi honestatis habere uisa est, ut post multam ac diuturnam consultationẽ, quæ meũ animum in uarias sententias distrahebat, non dubitauerim rem immensi laboris & difficultatis plenam intentare, & seuerissimam iudiciorũ aleam subire, ne tam honestis desiderijs, & tam propensæ in communem utilitatem uoluntati restitisse, aut aliquo pacto uiderer repugnasse.* V*olui summa quadã accuratione, tam ueterũ quàm recentiorum libros de* Grã*maticis*

maticis præceptis conscriptos: alij, tanta uerborum luxuria redundantes, tanta præceptionũ turba & multitudine referti, ut non ad rectam puerorum informationem, sed ad perniciẽ potiùs, & ingeniorũ corruptelam excogitati uideantur. Alij tam breues & compendiarij, ut nihil dixisse præstitisset, quàm pauca illa profunda quadã caligine & cimmerijs tenebris inuoluta. Ego uerò, qui in his humanitatis studijs iampridem uersatus sum, cùm ex aßiduo publicè legendi usu, & frequenti experimẽto didicissem, mediocritatem in rebus omnibus, sed potißimũ in tradendis documentis solere ab uniuersis scholasticorum ordinibus commendari, in ea re diligentiùs insudaui, ne his nostris commentarijs aut nimiũ prolixa, aut nimiùm breuia præcepta continerentur: ne aut nimia rerum copia puerorũ animi obruerẽtur, aut nimia inopia & orationis ieiunitate, in labyrinthos ducerentur inexplicabiles. Eos igitur mediocri quodam stylo compositos, qualem scilicet puerilis illa ætas requirebat, tibi offero humanißime Beltrane: quos si ea, qua soles omnia nostra, humanitate exceperis, si ea qua soles, cura & animi intentione uersaueris, inuenies (nisi meam opinionem fallit amor) non tantùm inde poße discipulis tuis, sed publicis etiam ac priuatis totius Hispaniæ gymnasijs plurimũ utilitatis accrescere. Bene uale Compluti, ánno à die Christi natali millesimo quingentesimo sexagesimo. Ad Cal. Nóuembris.

¶MAGISTRI HIERONYmi Ficaei Toletani, in doctissimi Magistri Alfonsi Torres authoris commẽdationem, Dialogismus inter emptorem & bibliopolã, Alloquitur Bibliopola.

∴

B, Dic bone quid quaris iuuenis, fors peruenis emptum?
E, Nunquid habes aliquid bibliopola noui,
B. Et tibi quod placeat. E. quodnã. B: perdiscere par (uo
Vt possis Latiam tempore Grammaticam.
E. Pol bene, sed Vetus est, Laudat sua munera cerdo.
B. Laudo, nec in laudes Vtilitate feror.
Ipsa quidem Vulgi Vox hoc testatur, id ipsum
Audiui doctos dicere sape Viros.
E. Ne Vulgo, ne crede, aliter ridebere: nanque]
Ludicra multifidus dicta popellus amat.
Adde, quod assiduè nulla ratione mouetur:
Quaque prius dictis extulit, illa premit.
E. Non Verbis opus est, Vbi res lucescit: at istum
Porge mihi librum Venditor. B ecce lubens.
E. Quis fecit? B: quis? Pieridum lingueque Latina
Gloria: qui Latias nuper adauxit opes.
Hic est, quem nostri moderantem frana theatri
Fama est aternum promeruisse decus.
Hic est qui latias iuuenes depromere Voces
Edocet, hic Graca est fons genialis aqua.
Hic est, quem Musa proprijs aluere papillis,
Atque alitum sophias edocuere nouem.

Hic est (ut breuiter dicam) quem suspicit orbis,
Torres. E. ingenium quale mihi memoras?
Venditur at quanti liber hic? B. mercede pusilla
Et credo vatis fortè minore tuis.
E. At quanti? B. si scire cupis tibi dixero ad aurem.
E. Si solet hic tanti vendier, en pretium.
Vale: sic tibi sint libri bone compater. B. & tu
Euoluas lætis hunc precor auspicijs.

EIVSDEM IN COMMENDATIO-
nem operis, carmen.

Dum quibus hoc numeris lector studiose volumē,
Sensa quod in spatio continet ima breui,
Laudarem, foret in dubio, quasque vbere vena
Effundit passim prodigus author opes.
Astitit ecce mihi Phœbus, dixitq; subinde,
Ne dubites, istud stulte manebit opus.
Humanę non vocis eget, quia Pol bene tritum est:
Vendibili vino non opus est hedera.

IDEM AD LECTOREM.

Qui cupis Antoni quartum perdiscere librum,
Syntaxis placidum si modò quæris iter,
Hunc eme (nec pigeat) lector studiose libellum,
Quem peperit Torres docta Minerua tibi.
Parua licèt, pretiosa tamen sunt munera lector:
Hæc modò qui præstat, post meliora dabit.

COMMENTARII IN QVARTUM Antonij Nebrissensis.



VMQVATVOR sint partes praeceptiuae Grammaticae, Orthographia quae de litera: prosodia, quae de syllaba, Etymologia, quę de dictione, Syntaxis, quae de octo partiũ orationis constructione disputat. Superiore libro egit Nebrissensis de litera, & dictione compendiosè & breuiter satis, de syllaba copiosiùs in quinto disseret, de ea Grammatices parte quam Graeci Syntaxim, nos partium orationis ordinem siue constructionem uocamus, in hoc quarto libro suscipit disputationem.

Quando igitur de constructione futurus est sermo, non erit à nostro instituto & officio alienum explicare quid sit constructio, & quotuplex sit. Constructio est debita ac legitima dictionum in oratione ordinatio, ut Tempus omnia aperit. Est debita ac legitima ordinatio, hoc est, iuxta leges & regulas Grãmaticae. Dictionũ, quoniã unius dictionis nõ

est constructio, sed aut duarũ, ut ego doceo, aut plurium, ut ego doceo Grammaticam. In oratione, quoniam nisi in oratione constructio esse non potest. Vnde apertè colliges hanc non esse constructionem, Diuina sapientia, licet ibi sit substantiui cum adiectiuo concordia: cæterum si adieceris, Diuina sapientia incredibiles sui amores in hominum animis excitare solet, iam feceris constructionem.

Est autem triplex, bona, mala, figurata. Bona, est oratio ab omni uitio & incongruitate aliena, ut, Excruciat *animum libido. Mala, est oratio nulla ratione neq; authoritate excusabilis, ut uir bona* Deo *diligit: in qua oratione bis peccatum est, tum quia adiectiuum bona cum substantiuo non concordat, tum etiam, quia uerbum diligo datiuum pro accusatiuo à tergo regit.* Figurata, *est oratio quæ licet primo aspectu uitiosa appareat, ratione tamen & authoritate excusari potest, ut* Ego *magister doceo. In qua constructione licet uerbum non concordet cum nominatiuo magister, quod nomen est tertiæ personæ, excusatur tamen hæc improprietas, quoniam uerbum semper digniori respondere debet: prima nanque persona ordine naturæ dignior est secunda, & secunda tertia.*

De accidentibus constructionis, concordantia, & regimine, nihil in præsentia: quoniam de his, & figuris constructionis, peculiarem faciemus tractatum, postquàm Quartum librum absoluerimus.

Verba partim sunt personalia, partim impersonalia.

Exem-

Exorditur Nebrissensis quarti libri tractationem à uerbo, quoniã est totius orationis ueluti forma, sine qua oratio ipsa constare non posset: ideò eius finitionem ex tertio libro petamus necesse est, ne uerbi definitio ignorata audientium animis aliquid pariat perplexitatis. Est igitur uerbum, pars orationis declinabilis, cum modis & temporibus, sine casu, agendi uel patiendi significatiua. Pars orationis declinabilis, ut partes indeclinabiles excludãtur. Cum modis & tẽporibus, ut nomen, pronomen, & participium excipiantur: nam nomen & pronomen prorsus carent modis & temporibus: participium licèt tempora sortiatur, illa tamen habet implicita. Sine casu, ad differentiã participij, quod per suos casus inflectitur. Agendi uel patiendi significatiua, nam uerbum aliquandò actionem significat, ut amo aliquando paßionem, ut amor: aliquando sub una uoce utrunque complectitur, ut largior. Quæ definitio de uerbis adiectiuis regularibus, nõ de substantiuis, aut irregularibus intelligi debet. Partitur igitur Antonius uerba in personalia, & impersonalia. Personalia sunt, quorum tempora per numeros & personas certas explicantur, ut amo, as. Impersonalia, quorum tempora certis numeris, certisq; personis carent, ut pudet. Sed uerbi impersonalis consideratione in alium locum reiecta, de personalibus differit, quæ à persona, & non à numero nomen acceperunt, quia persona numero nobilior est: cùm actio uel paßio quæ per uerba personalia significatur, non numero, sed personæ agenti uel

patienti inhæreat.

Personalia rursus in quinque genera diuiduntur.

Quæ rursus in quinque genera distribuit, actiuum, paßiuum, neutrum, deponens, commune. Quæ partim terminatione, partim significatione, partim constructione discernuntur. Nam quemadmodum genus in nomine est qualitas quædã, qua genus masculinum à fœminino distinguitur, & neutrum ab utroque: ita genus in uerbo est qualitas, qua uerbũ actiuum à paßiuo, paßiuum à neutro, & reliquis generibus uerborum tum uoce, tum significatione, tum constructione secernitur. Colligitur autem horum quinque generum numerus in hunc modum. Aut uerbum desinit in .o aut in .or. Si in .o. aut est actiuum aut neutrum ut diligo, seruio. Si in or. aut solam passionem significat, & est passiuum uerbũ ut diligor, aut solam actionem & est deponens, ut obliuiscor, aut actionem & passionem simul & est commune, ut ueneror, interpretor. De his igitur ordine ipso quo distributa sunt, qua posimus perspicuitate disseremus.

De verbo Actiuo.

Actiuum uerbum est illud quod desinit in .o. & habet passiuum in or. & exigit ante se nominatiuum in persona agenti uel facienti, & accusatiuum in persona patienti. Explicemus singulas partes huius definitionis Desinit in .o. ad differentiam uer-

uerborũ paßiuorum, deponentium, & communiũ, quæ desinunt in or, ut legor, recordor, experior. Et habet paßiuum in. or. ad differentiam uerbi neutrius ea uoce carentis. Et exigit ante se nominatiuum, hoc commune est uerbis omnibus personalibus in modis finitis, ut nominatiuum exigãt ante se (dixi in modis finitis, nam infinitiuus modus exigit ante se accusatiuum in uoce actiua loco personæ agentis, in paßiua uerò, patientis.) In persona agẽti uel facięti, hoc proprium est uerbi actiui, uel neutrius actionem significantis, & deponẽtis. Nam reliqua uerborum genera poßunt etiam paßionem significare, exiguntq; ante se nominatiuum pro persona patienti, ut exulo, criminor. Aliquando loco nominatiui orationem exigit, ut aßiduas ad Deũ fundere precationes diuinam mitigat indignationem. Quod uerò dixit, in persona agenti uel facienti, non sine ratione adiectum est. Nam differentia illa inter agere & facere, non à Philosophis solùm sed ab studiosis etiam linguæ Latinę obseruatur, ut facere sit rerum in materiam exteriorem transeuntium, ut feci domum, feci imaginem, agere sit rerum immanentium, ut ago fortiter, ago prudenter. Erit igitur (si his uocibus rigidè utamur) persona faciens, quæ opus corpore exercet; agens uerò quæ animo, uerùm communiori uocabulo persona agens ab authoribus appellari solet. Et accusatiuum in persona patienti, ut mater tenerrimè filios amat, uel orationẽ pro accusatiuo, ut bonorũ tria esse genera nullus sanæ mentis ignorat.

Hæc definitio traditur de uerbis integris & regularibus, non autem de defectiuis aut irregularibus, inter quæ reperies quædam, quæ exeunt in. o. & non in or, ut audeo, uolo, facio, do, quæ in uoce paßiua non habent, audeor, uolor, facior, dor. Alia *uerò deprehendes, quæ utraque uoce carēt, & nec uocem actiuam in. o, neque paßiuam in. or. habent, ut odi, noui, cœpi, memini.* Quæ *omnia uerba, licet mutila sint, & suis temporibus orbata, inter actiua tamen numeranda sunt, quandoquidem cum accusatiuo construuntur. Sunt enim quædam uerba actiua uoce tantùm, ut uapulo, alia significatione tantùm, ut sequor: alia uoce & significatione simul, ut amo, alia postremò significatione & constructione, ut superiora illa, odi, memini, noui.*

Eius complures sunt species.

Actiuum uerbum in sex species diuiditur (siue formas, siue classes, siue ordines, siue gradus malis appellare.) Neque *existimes hic speciem ab Antonio accipi more* Dialectico *pro ea, quæ prædicatur de pluribus numero differentibus, ut homo, leo: sed pro collectione uerborum eandem habentium constructionem, & ab alijs adeò diuersam, ut hoc solo nomine à reliquarum claßium uerbis differant.* Nam *licèt uerba actiua omnia in hoc conueniant, ut à fronte ex æquo nominatiuum requirant agentis, à tergo accusatiuum patientis, quia tamen alios atque alios ulteriores casus præter accusatiuum accipiunt, propterea in diuersas species distrahuntur, & quia sex modis à ter-*

go

go constructa reperiūtur, ideò in sex species passim distribui solent. Quæ accusatiuo tantùm contenta sunt, primam constituunt speciem. Quæ præter accusatiuum, genitiuum uel ablatiuum desiderant, secundam. Quæ datiuum, tertiam. Quæ alterum accusatiuum, quartam. Quæ ablatiuum sine præpositione, quintam. Quæ cum præpositione, a, uel ab, sextā, quas sigillatim percurremus.

De prima classe verborum Actiuorum.

Verba huius speciei cum accusatiuo tantùm construuntur, siue accusatiuus ille rem significet, ut diligo res honestas, siue personam, ut amo te. Quòd si uerba huius speciei præter accusatiuum alios casus regant, ad alias species migrabūt, Terētius in Phormione. Neq; quomodo uxorem amittam à me inuenio, neq; uti retineā, scio: ubi amitto quod est primæ speciei, efficitur sextæ. Item si uerba sequentiū classium, casibus, quos post accusatiuum regunt, priuentur, efficientur huius speciei, ut hominis negligentiā accuso, suasi utilia, doceo artes liberales, satiaui animum, omnia tua negotia libens suscipio. Si uerò cū nullo casu construantur, fient absoluta, ut adolescēs affectu quodam cæco & immoderato amat. Aliquando hæc uerba duos accusatiuos recipiūt, si ad eandē rem pertineant, ut facio te arbitrum. Verba tamen quartæ speciei duos accusatiuos habent pro diuersis rebus acceptos, ut doceo te Grāmaticam, aut per figuram Appositionem, ut uerso Ciceronem Romanæ eloquentiæ parentem, aut per Enallagen appellatiui pro adiectiuo, ut præsta te uirum, id est fortē,

aut deniq; præpositione intericcta, quorum alter à præpositione, alter à uerbo regatur. Liuius, Iberum copias traiecit.

De casibus communibus.

Illud præterea notandum est, uerba huius speciei, quemadmodum & reliqua, præter accusatiuũ, quẽ sua natura exigunt, posse etiã recipere casus, quos Grammatici communes siue generales appellãt, qui eò dicti sunt cõmunes, quòd speciem priuatam non constituant, sed ab omnibus uerbis cuiusuis generis, cuiusuis speciei, cuiusuis naturæ regi poßint. Sunt autem septuplices, Datiuus damni aut cõmodi, quẽ per accusatiuum media præpositione In uel Ad interpretari solemus, ut tibi soli sapis, id est, in tuam uel ad tuam utilitatem. Terentius in Adelphis, Si quid peccat Demea, mihi peccat, id est in meum uel ad meum detrimentum. Genitiuus æstimationis, ut pluris facio famam quàm pecuniã. Ablatiuus pretij ut hic patriam pecunia deseruit. Effectiuus instrumenti ut nutrix infantẽ lacte alit. Accusatiuus uel Ablatiuus temporis uel spatij, ut studui Grammaticæ quatuor annos uel annis, laxaui domum uiginti passus uel paßibus. Casus cum præpositione, ut iaceo ante pedes, doceo in gymnasio. Postremò urbiũ & oppidorum propria, licèt aduerbialiter ponantur in oratione, post quoduis uerbum succedere citra præpositionem possunt, ut sum Romæ, eo Romam, uenio Roma, transiui Roma.

Huius speciei uerba adeò uaria sunt, ut in certũ numerum colligi non poßint. In hoc tamen uerbo Ca-

pio,

pio illa proprietas notanda est (ut author est Valla lib 6. Elegant cap. 3.) habere scilicet reciprocū quendam usum, cum dictionibus præsertim ad delectationem pertinentibus: ut idem sit cepi uoluptatem, & uoluptas cepit me: cepi delectationem, & delectatio cepit me: sed usitatiùs captus sum delectatione. Notabis præterea, idem uerbum quando significat continere, id suo iure exigere, ut locus qui continet ponatur in nominatiuo, res quæ continetur, in accusatiuo: ut ærarium uix tantam pecuniā capiet, non è conuerso. Cicero oratione secunda de lege Agraria, Vix iam uidetur locus esse, qui tātos aceruos pecuniæ capiat.

De secunda classe actiuorum.

Verba huius speciei præter accusatiuum patientem, petunt etiam à tergo genitiuum uel ablatiuum ut accuso te homicidij uel homicidio. Genitiuus tamen est proprius huius speciei: nam ablatiuus sine præpositione reducitur ad quintam: si uerò sit cum præpositione, ad sextam. Propria autem huius ordinis uerba quincuplicia sunt, implendi, accusandi, damnandi, emendi, æstimandi. Cum uerbis uacuādi defendendi siue purgandi, absoluendi uēdendi, quæ sunt superioribus contraria: nam contrariorum eadem solet esse disciplina & præceptio. De quibus omnibus gradatim est nobis differendum, ut tantam rerum confusionem, quæ in hanc speciem à quibusdam intrudi solent, ad certam methodum redigamus.

De verbis implendi.

Verba

Verba implendi qualia sunt, impleo, repleo, compleo, refercio, post accusatiuum, genitiuum uel ablatiuũ sine præpositione postulant ut impleui nauim frumento, referſi apothecam uino. Notat tamẽ Laurentius Valla lib. 3. cap. 33. addendam esse aliquãdo necessariò præpositionẽ, DE. Quando scilicet ablatiuus ille generalitatem, seu rerum diuersitatem significat, ut Impleui nauim de omni genere frumẽti referſi apothecam de uaria natura uinorum, neque enim sic loqui liceret. Impleui omni genere frumenti, & referſi uaria natura uinorum. Cuius rei eam esse causam existimo, ne sensus orationum absurdus & ineptus reddatur. Quid enim aliud significaret impleui nauim omni genere frumenti, & apothecã uaria natura uinorum, quàm me omni totius orbis frumento nauim impleſſe, & in apothecam omnia uina ex omnibus mundi regionibus cõportata infudisse? Quod quantum cum ueritate pugnet, ipse uideris. Additur, igitur præpositio, de, ut generalitas illa, siue rerum diuersitas aliquantùm restringatur. Cuius præceptionis Cicero lib. 1. de Orato. nobis etiã aulhor est, Quærebat (inquit) cur de proœmijs, & de epilogis, & de huiusmodi nugis referti essent eorum libri. Hic nequaquam licuiſſet sine præpositione loqui, nõ enim libri illi referti sunt proœmijs & epilogis sed præceptis proœmiorum & epilogorum. Sicut in superioribus, non est nauis impleta omni genere frumenti, sed frumento omnis generis, neque apotheca referta omni natura uini, sed uino omnis naturæ.

Hinc

Hinc colliges, in huiusmodi orationibus germanũ sensum seruari posse, si cum praepositione loquaris aut in hunc modum. Impleui nauim frumẽto omnis generis, & apothecam uino omnis naturae.

Nomina impletionem significantia, ut refertus, plenus, apud Ciceronem cum genitiuo frequentiùs constructa reperiuntur, quemadmodũ implendi uerba cũ ablatiuo. Cic. pro lege Manilia, Referto prędonum mari. Idem actione 7. in Verrem, Procedit in medium uini, somni, stupri plenus.

De verbis accusandi.

Verba accusandi, qualia sunt, accuso, ago, postulo, arcesso, insimulo, arguo, noto, alligo, astringo, post accusatiuum, cũ genitiuo uel ablatiuo sine prae positione, aut cum ea construuntur, ut accuso te furti, furto uel de furto. Neq; eorum opinio uera est, qui uitia speciatim dicta genitiuo tãtùm, generatim posita ablatiuo debere exprimi contendunt. Quasi sic loqui necessarium sit, Accuso te furti, sacrilegij, parricidij, nõ furto, sacrilegio, parricidio, quia furtum, sacrilegiũ, parricidium crimina sint specialia. Item accuso te crimine, peccato, scelere, non criminis, peccati, sceleris, cùm crimẽ peccatum, scelus, nomina sint peccatorum generalia. Atqui hos Grãmaticos falli, docet hic locus Ciceronis ad Atticũ. lib. 7 Damnasse enim sceleris hominẽ amicum Reipublicae causa uideretur. Item ille pro Rabirio perduellionis reo. An non intelligis, primùm quos homines, & quales uiros mortuos summi sceleris arguas? Quibus locis nomina incerta peccatorum ponuntur

in ge-

in genitiuo. Nomina autē peccatorū certa & specialia locari posse in ablatiuo, testis est Plautus, Ita cū furto alligat. Itē Plinius naturalis historię li. 18. Necari iubebant grauiùs, quàm homicidio conuictum.

Sunt tamē certa nomina, quæ post huiusmodi uerba, nō nisi in ablatiuo poni soleant cū præpositione, uel sine ea, repudiato prorsus genitiuo, quia sic doctorū hominū usu & cōsuetudine receptū est. Qualia sunt huiusmodi partitiua. uter, uterq;, neuter, alteruter, alter, alius, ambo: quibus accedat omnis, nullus, & superlatiua plurimus, maximus, ut in sequētibus exēplis uidere est. Vtro hūc hominē accusas? nō utrius, Itē accusasne hūc furti an sacrilegij, an de utroq;, an neutro, an alterutro, an nullo, an altero, an alio, an ambobus, an de omnibus, an maximo ex his? Item de plurimis accusatus est, non plurimorum.

Notabis, cū uerbis accusandi siue dānādi, hos genitiuos tāti, quāti, pluris, maioris, & similes, posse recipere substantiuorū cōsortiū, ut quātæ pecuniæ cōdēnasti tātæ summæ damnaui, quantæ postulasti. Liuius Decadis quartæ li. 8. ad finem, Sed nec tantum uedactum est, quantæ summæ damnatus fuerat.

Itē notabis, in uerbis ad accusationē crimēq; pertinentibus, tres illas solēnes Grāmaticæ regulas uiolari. Quo casu quæreris, eodē respōdere teneris ut accusas hunc furti, an sacrilegij? respōdebis, de utroque, aut de neutro. Exponēs & expositū debēt esse in eodem casu, in eodem exemplo, de utroq; hoc est furti, & sacrilegij: de neutro hoc est, neque furti, neque sacrilegij. Coniunctio copulatiua debet simi-

miles

miles casus connectere, ut arguam te homicidij, & adulterij, & de plurimis alijs: nõ dices plurimorũ.

De verbis damnandi.

Verba damnandi eandem cum uerbis accusandi constructionem habent, nam aliquando construuntur cum genitiuo. Cicero in Rhetoricis ad Herennium. Maiores nostri si quando peccati mulierẽ dãnabãt. Aliquando cum ablatiuo sine præpositione. Idem in Verrinis, Ego hoc uno crimine illum condemnem, est necesse. Aliquando cũ præpositione. Idem secunda Philippica, Cuius etiam familiares de ui cõdẽnati sunt. Sic etiã dicimus, dãnare aliquẽ capitis, capite siue de capite, repetũdarũ, siue de repetũdis, ambitus, siue de ambitu. Idẽ iudiciũ est de uerbis absoluẽdi, ut absoluo te iniuriarũ, uel de iniurijs,

De verbis pretij.

Non desunt Grammatici, qui asserant, uerba pretij & æstimationis nõ esse huius classis sed primæ, quòd ablatiuus pretij, & genitiuus æstimationis sint casus communes, nulliq; uerborum generi denegentur. Ego tamen sic existimo in hoc ordine esse reponenda, & ablatiuum pretij, & genitiuum æstimationis cum reliquis uerborum generibus casus esse communes, uerbis uerò pretij, & æstimationis proprios esse, & peculiares, ac propterea priuatam cum his cõstituere speciem. Omnia igitur uerba pretium significãtia, aut quorum actus pretio siue mercede efficitur, qualia sunt, emo, comparo, mercor, uendo, uenundo, distraho, loco, conduco, sto, consto, paciscor, doceo, ago

& si qua sunt alia similis horum significationis, regunt post se nomen, quod pretij ratione, obtinet siue ualoris in ablatiuo. Vergil. 6. Aeneid. Vendidit hic auro patriam. Liuius, Multo sanguine ac uulneribus ea Pœnis uictoria stetit.

Exceptiones præcepti generalis.

Sunt tamen triplicia nomina adiectiua, quæ cùm uerbis pretij iunguntur, diuersam sequuntur rationem: nam eorum quædam ponuntur in genitiuo, alia in ablatiuo, postremò alia neq; in genitiuo neq; in ablatiuo sed fiũt aduerbia, ut per ea cum uerbis pretij loqui liceat. Agamus de primis. Excipiuntur undecim nomina adiectiua, quæ si secum appellatiuum nomen adiunctum non habeant, in genitiuo poni semper solent. Sunt autẽ simplicia quatuor, tãti, quanti, pluris, minoris composita septem quantiuis quantilibet, quanticunq;, quantidẽ, tantiuis, tantidẽ, tantilibet. Vs res tanti ualet, quanti uẽdi potest, itẽ quam rem ego pluris, tu minoris emisti, & sic de reliquis. Hæc autem nomina adiectiua in genitiuis ponuntur substantiuè, atq; ita si illis adiungas appellatiuum nomen, quo pretium indicatur, orationẽ conuertes in ablatiuum, nam in genitiuis non admittũt in consortium nomina substantiua, neq; enim dices, Mercatus sum equum tanti pretij, sed tanto pretio: neq; minoris pretij, sed minori pretio. Excipitur tãtidem, quod in ablatiuũ resolui nõ potest, quia duos casus tantùm habet, tantundem, & tantidem. Nec liceret sic resoluere, Emi prædium tantidem, quanti tu, id est, tantodem pretio, sed sic, eodem pretio, aut

tanto

tanto eodem pretio: quam ratione͂ sequitur quantidem, si in usu sit.

Sunt tamen in his genitiuis multa scitu dignißima, na͂ ta͂ti & qua͂ti & reliqui genitiui aliqua͂do ad pretium non referuntur, sed ad aliquid, quod magni po͂deris sit & æstimationis: ut in eo uersu Ouidij, Vix Priamus tanti, totaq; Troia fuit. Et tunc licebit loqui per genitiuum cum nomine substantiuo: ut non est tanti pretij uestis, qua͂ti tu ducis. Simili forma loquendi usus est Terentius in Andria, Videtur esse qua͂tiuis pretij. Item Sallustius in Iugurtha, Existimate facta, an dicta pluris sint pretij. Aliquando ta͂ti & quanti neq; ad pretium, neq; ad æstimatione͂ referuntur, sed quantitate͂, aut exclusionem important, & tunc non reguntur in genitiuo, sed utimur his uocibus tantum & quantum: ut tantu͂ operæ posui in studijs, quantum necesse fuit.

Pluris ite͂ & minoris, cum ablatiuo ex ui comparationis co͂strui possunt. Plinius.35. Naturalis Historiæ, Neminem minoris docuit talento. Iungu͂tur etiam his ablatiuis, fide, spe, opinione, solito, dicto, æquo, iusto, ut pluris opinione librum emi, minoris solito mercatus sum libru͂. Asciscunt præterea sibi aduerbia illa, tantò, quantò, eò, quò: ut tantò pluris, quantò minoris, eò pluris, quò minoris. De genitiuo maioris nulla mentio, quia rarus est eius usus apud authores. Polus his undecim genitiuis addit duos alios æris, & centußis, quòd legerit apud Columella͂ lib.3. Quæ uulgus parui æris posse co͂parari putat. Ite͂ apud Marcum Varrone͂, Satyra de Edulijs, Pi

florem qui norunt, uolunt emere millibus centũ, te qui nouit nemo centussis. Tu uerò id, quod ab authoribus rarissimè usurpatum est, ne ad imitationẽ tibi proponas, sed loquere cum his nominibus per ablatiuum in hunc modum, Paruo ære, centussi, decussi, aut per pluralem, centussibus, decussibus.

De adiectiuis, quæ ponuntur in Ablatiuo.

Sunt secundò alia nomina adiectiua, quæ cũ uerbis pretij ponuntur in ablatiuo, quibus addere appellatiuum, uel demere pro arbitrio possis magno, maximo, paruo: minimo, multo, plurimo, paulo, pauco, nimio, immẽso, duplo, triplo, uili, caro: ut magno uel paruo mercatus sum, uel magno uel paruo pretio mercatus sum. Terentius in Eunucho, Quid agas, nisi ut te redimas captum quàm queas minimo? si nequeas paululo, at quanti queas, & ne te afflictes. Duobus tamen postremis, caro, & uili, addi appellatiua non solent: ut caro, aut uili emi, non caro, aut uili pretio.

De adiectiuis quæ fiunt aduerbia.

Sunt postremò quatuor cõparatiua, quæ neq; in genitiuo, neq; in ablatiuo, ut superiora, cum uerbis pretij ponuntur, sed loco eorũ aduerbia ex se ipsis facta succedunt, carius, uilius, peius, ut carius, aut uilius emi, non carioris, aut uilioris.

Tria obseruatione digna.

Tria supersunt annotanda, ne quicquam eorum prætermittamus, quæ necessaria sunt, uerbum scilicet ualeo, cũ accusatiuo & ablatiuo cõstrui, ut hic liber ualet tres nũmos argenteos, uel tribus nummis

argen

argẽteis. Et numerũ, põdus, ac mensurã, in huiusmodi uerbis, uel accusatiuo cũ præpositione In uel ablatiuo cũ præpositione Pro, notari. Cicero in Verrẽ Quid ergo in singulos sestertijs millibus dãnari mauultis? Idem pro Marco Fonteio, Viturius Tolosæ quaternos denarios in singulas uini amphoras portorij nomine exegit. Rursus Idẽ in Verrẽ, Ipse pro tritici modijs singulis ternos ab aratoribus denarios exegit. Postremò notabis, in uerbis pretij quẽadmodũ in uerbis accusationis, tres illas regulas, quarũ in superioribus meminimus, frangi Quo casu quæreris: ut quanti emisti pileũ? respõdebis, quatuor argenteis nũmis. Exponẽs & expositũ debẽt. &c. ut tanti, id est, tanto pretio. Cõiunctio copulatiua: emi equũ centũ nũmis aureis, et pluris. Quæ regula etiã cũ nominibus & pronominibus possessiuis uiolatur, domus materna & patris, domus mea & fratris, item in uerbis impersonalibus primi ordinis, ut mea interest atque discipulorum in humanioribus disciplinis diligenter elaborare.

De verbis Aestimationis.

Verba æstimãdi qualia sunt æstimo, curo, puto, facio, cõsulo, duco, pẽdo, & habeo construũtur cũ ablatiuo ut æstimo cẽtũ aureis nũmis, nõ facio asse. Tamẽ cũ superioribus adiectiuis, tãtus, quãtus, plus, minus & reliquis, cõstruũtur cũ genitiuo, ut tãti facio, quãti tu, pluris aut minoris facio, quàm tu Et præter hos regunt etiã sequẽtes genitiuos, magni, maximi, parui, minimi, multi, plurimi, nauci, flocci, pili, teruncij, huius, nihili, æqui, boni, qui omnes

genitiui uerbis solum æstimationis iunguntur. Vt parui siue magni pendo, flocci facio, nauci facio, ne teruncij quidē, aut huius facio. In tribus tamē po stremis genitiuis, nihili, æqui, & boni notabis, licere scilicet aliquando loqui per ablatiuum nihilo cū præpositione Pro, satis ex more Ciceronis, cū uerbis habeo, duco puto, sum ut pro nihilo habeo. Cicero pro domo sua, pro nihilo habenda est adoptio cōtra omne ius facta. Pro nihilo duco. Idē in Verrinis Pro nihilo ducere alios præ se Pro nihilo puto. Idē pro Cecinna. Quę cadere in hominem possunt, despicere, ac pro nihilo putare. Pro nihilo esse. Idem pro Marcello, Prȩterita uoluptas pro nihilo est. Persius cū pendo usus est, prima Satyra, Ten, Cirratorum centū dictata fuisse pro nihilo pendas? AEqui & boni, utimur cum uerbis facio & consulo: ut æqui boniq; fac siue consule adhortationem meam id est in bonā partem accipe. Aliqui iungunt genitiuis superioribus genitiuum aßis, ducti duabus autoritatibus: quarum prior est Vergilij in Priapo, Nō aßis faciūt, euntq; rectà. Posterior Catulli Omnes unius æstimemus aßis. Verùm per hoc nomē elegātiùs & politiùs multò loquimur per ablatiuū, quàm per genitiuum: per reliqua uerò semper loquimur per genitiuū. Sūt qui inter uerba hui⁹ claßis numerēt laudādi & admonendi uerba, quòd uideāt, ea aliquādo cū genitiuo aliquando cū ablatiuo cōstructa. Verùm falluntur, nā uerba laudis, siue uituperationis sunt primæ speciei: uerba admonitionis, quartæ. Non nego ex uaria constructione solere uerba mu

tare

tare speciem, cæterùm hę sunt classes propriæ horũ uerborum, & ex his ad alias migrare solent.

De tertia classe Actiuorum.

Verba tertiæ classis præter accusatiuum patientẽ, postulãt datiuũ acquisitiuum, in quo persona acquirens aliquid reponatur, ut do tibi pecunias. Vnde à ueteribus Grammaticis, huius speciei uerba acquisitiua sunt appellata. Qui datiuus licèt damnum aut commodũ uideatur significare, non regitur ab his uerbis ut casus cõmunis & generalis, sed ut proprius, & peculiaris, ut qui tertiam speciem constituit. Non nego posse recipere casus generales, postquàm eorum natura fuerit expleta, ut Prætor panes distribuit pauperib9 propria manu in foro. Nã (ut id semel præcipiamus, ne audientium capita crebra eiusdem præcepti repetitione obtundamus) casus generales nulli uerborum generi, cuiuscunq; sint formæ aut naturæ, negari possunt. Hic idẽ datiuus si per uocem passiuam conuertatur oratio, manere perpetuò debet, & nominatiuus in ablatiuum cum præpositione. A. uel. AB. conuerti debet, nõ in alterũ datiuum, ut do tibi pecunias, pecuniæ dãtur tibi à me, nõ tibi mihi. Quod fieri solet ad euitandã Amphibologiã, nesciremus enim, uter datiuus esset persona agens. Verùm cùm similis ambiguitas in oratione non fuerit, rectè nominatiuus conuerti potest in datiuũ, ut cani porrigis ossa, ossa porrigũtur tibi cani. Tũc enim nullus dubitat, datiuũ tibi, agentẽ personã esse. Hæc sunt generalia huius classis præcepta modò ad formas uerborũ particulares descẽdamus.

De multiplicibus verbis Tertiæ classis.

Adeò multa sunt huius speciei uerba, ut certa de his regula tradi non posit. Cæterùm percurramus præcipua. Sūt VERBA DANDI, *ut do, dono, tribuo, trado.* MITTENDI, *ut mitto, scribo.* IVBENDI, *ut iubeo, impero, præcipio, mādo.* SVADENDI, *cū cōpositis, ut suadeo, psuadeo dissuadeo* PRAEPONENDI, *postponēdi, æquādi ut præpono præfero, posthabeo postpono, æquo adæquo, æquiparo.* MVTVANDI *ut mutuo, loco, cōduco.* COMMITTENDI *ut cōmitto cōmēdo, credo. Postremò uerba cū his præpositionib⁹ Ad, In, Ob, Sub, cōposita, ut adiūgo, impono, offero, subiicio In quibusdā tamē uerbis ex his, sunt aliqua animaduersione digna circa cōstructionē. Neq; enim animus est, uerborū differētias & significationes uarias uocabulorū sigillatim percurrere, ne uidear (ut multi nostri tēporis Grāmatici in bonorū ingeniorū perniciē fecerūt) Laurētios, Calepinos, Perottos, linguæ Latinę Thesauros & reliqua dictionaria cōpilasse, & tot uerborū significationibus recēsendis puerorū ingenia turpiter obruisse.*

De verbis dandi.

Hoc uerbum do, præter naturalem cōstructionem accusatiui & datiui, regere solet accusatiuum mediis illis præpositionibus, In, Ad, Inter. Vt Terentius, Hanc mihi in manum dat. Itē, literas tabellario ad aliquem dare. Item obsides inter se dare. Est, cùm post datiuum ablatiuum regit cum his prępositionibus, A, uel Ab De In, nempe cùm aliquid da

mus

mus alicui ab aliquo. Plautus in Captiuis, Sequere me, uiaticũ ut idẽ à Trapezita tibi. Cicero ad Atticũ lib. 7. Qui tãtis de rebus huic mãdata dederit. Plinius hoc etiã in mãdatis dedit. Est, cũm duos datiuos regit, quorũ posterior per accusatiuũ cum, In uel Ad exponitur, cum his uerbis potissimũ do, uerto duco, habeo, adscribo. Vt dare laudi dare uitio id est in laudem, uel in uitiũ, idem de reliquis dicatur.

De verbis mittendi.

Hoc uerbum mitto, præter cõstructionem accusatiui loco datiui regit alterũ accusatiuum cum Ad, ut mittere alicui literas uel ad aliquem scribere alicui uel ad aliquem. Eandem naturam habent iungendi uerba ut se sceleratis hominibus adiũgere uel ad sceleratos homines. Cicero in Philippicis Cæsar se ad neminem adiunxit.

De verbis Iubendi.

Iubeo cum accusatiuo olim construebatur. Plautus in Aulularia, aut si respexeris donec ego te iussero. Itẽ Quintil. Pater me iussit. Solet etiam satis eleganter construi cum accusatiuo, quando significat legem promulgare aut magistratum creare, ut legem iubere, consulem iubere. Cicero pro Cornelio Populus Romanus legem iussit de ciuitate tribuenda. Idem in Philippicis: Cæsar ostẽdit se priusquam proficisceretur Dolabellã Consulem esse iussurum. Aliquando cõstruitur cum accusatiuo & datiuo & est huius speciei, ut iubeo tibi rem factu facilem. Aliquando cum duobus accusatiuis & reducitur ad quartam. Cicero. 13. familiarium. Literę

nō quæ te aliquid iuberēt, sed cōmēdatitiæ. Si cū solo datiuo cōstruatur, efficitur neutrū secūdæ classis, ut, malè res agitur, cū inferiores superiorib⁹ iubēt.

De verbis Aequandi.

AEquo, si significet æqualem esse, regit accusatiuum: ut rebus gestis Herculē æquare, id est, æqualē esse Herculi. Si significet æqualem facere, accusatiuum & datiuum, & est huius classis ut Alexandrū Herculi æquare, id est, æqualem Herculi facere.

De quarta classe actiuorum.

Verba quartæ classis duplicē accusatiuū regunt, alterū quidē principalē ex ui transitionis, alterum minùs principalē ex natura uerbi: & accusatiuus principalis non constituit speciē, quum is sit omnibus uerbis actiuis communis, sed minùs principalis est proprius casus huius speciei. Nā eā primùm cōstituit: deinde facit, ut à reliquis classibus differat, ut doceo discipulos Grāmaticā. Cæterùm hi duo accusatiui, quos hæc uerba exigunt, debēt pro diuersis rebus accipi, nā bene alia uerba regūt duos accusatiuos ad candē rē pertinentes, siue pro eadem re acceptos, ut uoco te hominem, præsta te hominem.

Sed tria hic notes oportet. Primùm quis dicatur accusatiuus principalis, quis minùs principalis. Deinde, quare hæc uerba dicantur significare transitionem uehementissimā. Postremò quo pacto in his uerbis fiat conuersio uocis actiuæ in passiuam.

Circa accusatiuum principalē & minùs principalem, duplex fuit quondam Grammaticorum opinio. Alij dixerunt, eum esse accusatiuum principalē,

cipalem, qui significaret personam minus principalem, qui significaret rem. Sed decepti sunt, nam in hac oratione, Doceo psittacum uoces humanas psittacum, accusatiuus principalis est, & personam nõ significat. Alij praeceperunt, eum debere dici accusatiuum principalem, qui rem animatam significaret: minus principalem, qui rem inanimē. Hi etiam in similem errorem prolapsi sunt. nam in hac oratione. Induo truncos hostilia arma, truncos, accusatiuus principalis est, & rem animatam non significat. Erit igitur ex nostra sentētia accusatiuus principalis, in quem transit, & dirigitur actio uerbi, & rem significat recipientem: minus principalis, in quē actio uerbi non dirigitur, & rem significat receptam. ut in hac oratione, Magister docet discipulos Grammaticam, docendi actio ad discipulos refertur, ac propterea, discipulos, erit accusatiuus principalis, Grammaticam, erit minùs principalis, quia docendi actio ad Grammaticam nõ refertur, non enim magister Grammaticam instituere uult, sed discipulos.

Vt secundum expediamus, notare oportet triplicem esse transitionem, uehementem scilicet, debilē, atque uehementissimam. Transitionem uehementē significant uerba actiua primi ordĩnis, quae accusatiuum tantùm regunt. Debilem uerò uerba neutra, quorum actus in accusatiuum non transit. Vehemētissimam autem uerba quarti ordinis, propterea quòd eorum actus tanti sit uigoris, ut in duplicē accusatiuum transire ualeat. Haec eò notare libuit,

ne ignotum esset scholasticis, quæ esset transitio uehementissima, quam hæc uerba significare dicuntur.

In conuersione autem uocis actiuæ in passiuam, quæ fit per hæc uerba, accusatiuus principalis mutatur in nominatiuum, & minùs principalis manet: ut doceo te Grammaticam, tu doceris a me Grammaticam. In uerbis uerò petendi seu orandi, uterq; accusatiuus mutari potest. Verùm si mutetur principalis, minùs principalis manet eodem pacto, quo erat in actiua: ut miseri orant principes ueniam, principes orantur à miseris ueniam. Sed si mutetur minus principalis, accusatiuus principalis uertetur in ablatiuum cum præpositione Ex, ut uenia oratur à miseris ex principibus, quæ uox passiua uerbis sextæ speciei tribui solet.

De multiplicibus verbis quartæ classis

Quincuplicia sunt uerba huius speciei: DOCENDI, seu dedocendi, ut doceo, dedoceo. MONENDI, ut moneo, admoneo. ORANDI, seu interrogandi, ut oro, rogo, interrogo. PETENDI, ut peto, flagito, postulo, posco. INDVENDI siue calciandi cum contrarijs, ut induo, uestio, cingo, calcio, exuo, expolio, excalcio.

De verbis docendi.

Doceo construitur cum duobus accusatiuis, & est quarti ordinis. Valerius Maximus lib. 6. Dionysius propter inopiam, literas puerulos Corinthi docuit. Aliquando construitur cum ablatiuo media præpositione De, efficiturq; sexti: non tantùm quã-

do significat certiorem facere, sed quando refertur ad doctrinam. De priore significatione Cicero pro Sexto Roscio, Vsque adeò autem ille pertimuerat, ut mori mallet quàm de his rebus Syllam doceri. De posteriore, Idem pro domo sua, Quid est enim aut tam arrogans quàm de religione, de rebus diuinis, cæremonijs sacris, Pontificum collegium docere conari? Aufertur aliquando præpositio, De. Cicero in Bruto, Homo & Græcis doctus literis, & Latinis. Quæque tamen uerba sunt docendi, quæ post accusatiuum principalem, cum ablatiuo potius sine præpositione, quàm cum altero accusatiuo minus principali cōstrui gaudent, imbuo, instituo, instruo, informo, erudio. Vt magni refert quibus artibus: & quibus moribus puerorum animos imbuamus quæ oratio per reliqua uerba simili constructione uariari poterit. Erudio tamen aliquando duos sibi adiungit accusatiuos, quæ constructio non adeò frequens est apud Oratores. Papinius libro decimo Thebaid. Quæ te leges, præceptaq; fortia belli erudiat.

De verbis monendi.

MONEO siue admoneo, cum duobus accusatiuis est huius speciei. Sallustius in Iugurtha, Eam rē locus nos admonuit. Aliquando accusatiuum minùs principalem, in genitiuum uel ablatiuum conuertūt authores & ad secundam uel sextam classem huiusmodi uerba reducuntur. De genitiuo idem Sallustius in Iugurtha, Sed quoniam tāti uiri tempus admonuit. De ablatiuo Cicero libro quarto Episto.

Puta-

Putaui ea de re te esse admonendum.

De verbis orandi seu interrogandi.

Oro & interrogo cum duobus accusatiuis, sunt huius speciei, ut oro te rem honestam, item interrogas me quæstionem arduam, quæ fiunt etiam actiua sextæ, ut oro à te rem honestam, interrogas à me quæstionem arduam. Quibus iunge petendi uerba, quę cum duobus accusatiuis, & cum accusatiuo & ablatiuo construũtur: ut te ueritatem exigant, uel à te, peto te rem satis facilem uel à te. Item peto post accusatiuum habet datiuum, ut militibus missionẽ petere. Si significet percutere, est quintę, ut peto te saxo.

De verbis induendi.

Verba uestiendi cum duobus accusatiuis, sunt huius classis, cum accusatiuo & datiuo, tertiæ, cum accusatiuo & ablatiuo sine præpositione, quintæ. Vt induo te tunicam, induo tibi tunicam, induo te tunica.

De celo, & consulo.

Celo quando sine diphthongo scribitur, significat tegere siue occultare, & aliquando cùm duobus accusatiuis construitur. Cicero lib. 2. Epistolarum, Non enim te celaui sermonem. Aliquãdo cum accusatiuo & ablatiuo cum, De. Idem. 5. Episto. Debes existimare te maximis de rebus à fratre esse celatum. Postremò cum accusatiuo & datiuo, Terẽtius in Phormine, Si hoc celetur patri, in metu sum. Atque ita ex uaria constructione uarias sortitur species.

Consu

Consulo pro uaria significatione uariam habet constructionem, uarias etiam species. Si significet petere consilium, exigit simplicem accusatiuum, & est primæ. Cicero actione. 2. in Verrē, iam uos cō sulo iudices, quid mihi faciendum putetis. Aliquando duplicem, & est quartæ. Plautus in Menæchmis Ibo, & consulam hanc rem amicos, quid faciendum censeant. Aliquando accusatiuum cum ablatiuo & præpositione, De & est sextæ, ut consulere de salute medicum. Si significet prouidere, cōstruitur cū datiuo, & est neutrum secundæ, & ex uarijs datiuis uariatur eleganter oratio, ut consulere Reipublicæ, honori, famæ, existimationi, dignitati, saluti, tempori, paci, id est, habere rationem siue respectum. Si iungatur his genitiuis, boni, & mali, significat in bonam, aut in malam partem accipere siue interpretari, & est secundæ, ut laborem alicuius, boni, uel mali consulere. Si significet statuere, post accusatiuum exigit alterum, cum In. Terentius in Heautontimo. Pessimè isthuc in te, atque in illum consulis, id est statuis. Si significet consultare, ponitur absolutè, nec regit casum, nisi interiecta præpositione, In, ut consulere in longitudinem id est consultare in posterum. in commune siue in publicum consulere, id est, de publica utilitate & commodo consultare.

De quinta classe Actiuorum.

Verba huius speciei, post accusatiuum desiderāt ablatium sine præpositione, uel effectiuum, ut ego donabo te corona laurea. Cuius rei gratia uerba

huius claßis appellari solent effectiua, quia post accusatiuum, effectiuum regunt, qui speciem hanc constituit. Ac licèt effectiuus sit casus generalis: hic tamen proprius est, quia sine illo natura horum uerborum non absoluer etur. Post hunc tamen, & alterum effectiuum recipere possunt ex ui instrumenti: ut latro uiatorem uita priuauit insidijs. Hic tamen unum notes necesse est, ablatiuum sine præpositione à Nebrissensi dici effectiuum siue septimum casum, siue instrumentum significet siue non. siue à nomine regatur, siue à uerbo. Et licèt reclamet Priscianus, septimus hic casus ponendus est, qui licet cū ablatiuo in uoce conueniat, dissidet tamen significatione: nam ablatiuus separationem significat, effectiuus instrumentum. Item ablatiuus præpositionem uel expressam uel subintellectam semper habet, effectiuus nunquam similem præpositionem recipit.

De multiplicibus verbis quintæ claßis.

Sexcuplicia sunt uerba huius speciei, DONANDI, *ut dono afficio:* PRIVANDI: *ut priuo, orbo, uiduo, defraudo.* ONERANDI, *seu leuandi, ut onero, exonero, leuo.* MVTANDI: *ut muto.* SATIANDI, *ut satio, saturo.* PERCVTIENDI, *ut peto, percutio.*

Donandi verba.

Dono si significet gratis dare, construitur post accusatiuum cum datiuo & est tertiæ claßis, ut dono tibi uestes. Si significet dare præmij aut beneuolentiæ gratia, post accusatiuum regit ablatiuum sine præpositione, & est huius speciei, ut donabo te

corona laurea, in præmium scilicet meritorum. Naturam huius uerbi sequuntur etiam illa spargo, sterno, augeo, cumulo, impertio. Quæ omnia reciprocã quandam constructionem habent, ut sparsi corpori aquam, uel corpus aqua: straui equo phaleras, uel equum phaleris. auxi siue cumulaui tibi rem familiarem, uel te re familiari, impertio tibi salutem, uel te salute. Quod uerbum datiuum etiam regit cum ablatiuo & De. Cicero. 2. Officio. Sæpe idoneis hominibus indigẽtibus de re familiari impertiẽdũ est. Hoc idem uerbum eadem significatione & constructione efficitur deponens. Terentius in Adelphis Sed cesso heram hoc malo impertiri? Cicero pro Archia, Multis aliqua arte præditis gratuitò ciuitatem impertiebantur. Afficio ex ablatiuo sibi adiuncto accipit significationem: ut afficio te molestia, iniuria, lætitia, uoluptate,

Satiandi.

Satio ad omnes sensus pertinet, ut animum spectaculis satiaui, saturo ad solũ gustũ, ut saturabo te pane. De uerbo peto in quarta satis fusè disputauimus

De sexta classe Actiuorum.

Verba sextæ speciei requirunt post accusatiuum ablatiuum cũ illis sex præpositionibus, A, AB, ABS, De, E, Ex. Verũ tres præpositiones priores, ablatiuis frequẽtius iũguntur. Differunt tamen, nam A iungitur dictionibus à consona inceptis ut à Petro: Ab dictionibus inceptis à uocali ut ab Alfonso & quibusdam consonantibus ab Ioue ab Rege ab lege iungitur etiam licèt raro & tribus

alijs

alijs, ab senatu, ab Decio, ab natura. Abs *iungitur dictionibus inceptis à, T, & Q, ut abs te, abs Tito* Terentius, Abs *quiuis homine beneficium accipere gratum est. Verba huius classis uocantur separatiua, quia separationem quadam significant, quæ per ablatiuum importari solet.* Hic *autem ablatiuus cū præpositione, licèt casus sit cōmunis & generalis, huius tamē classis proprius est, nam & speciem cō stituit & à reliquis distare facit.*

Notabis, *per passiuam personam agentem in datiuum, & non in ablatiuum debere conuerti, uitandæ* Amphibologiæ *gratia, ut literæ acceptæ fuerunt mihi à te, non à me à te, nescires enim uter ablatiuus esset persona agens.* Aut *ablatiuus uerbi uertatur in ablatiuum cum præpositione,* Ex, *ut literæ acceptæ fuerunt à me ex te.* Per *hæc igitur uerba quādo non fuerit ambiguitas in oratione, rectè personā agēs ponetur in ablatiuo, ut in hoc exemplo,* Cicero *eripuit* Rempublicam Romanam *à faucibus* Catilinæ, *bene sic conuertes in passiuam,* Respublica Romana *erepta fuit à* Cicerone *à faucibus* Catilinæ.

De multiplicibus uerbis sextæ classis.

Quincuplicia *sunt uerba in hanc claßem cadentia* ABSTINENDI, *ut abstineo, contineo.* AVDIENDI, *ut audio, disco, intelligo.* ACCIPIENDI, *ut accipio, suscipio.* AMOVENDI, *ut amoueo, aufero, auerto.* ERIPIENDI, *seu liberandi, ut eripio, libero.*

Abstinendi verba.

Absti-

Abstineo & contineo differunt, teste Laurentio lib. 4. ca. 41. Nã abstinemus ab alienis, nulli uim inferentes, nihil cuipiam eripientes, ut abstineo me ab iniurijs. Continemus nos à proprijs, ut cõtineo me à uoluptatibus. Hæc fiunt quintæ, si demas præpositionem. Iustinus, Cõtenti uictoria, imperio abstinebant. Aliquando ex idiomatis Græci imitatione construuntur cum genitiuo. Horatius lib. 3. Car. Abstineto irarum, calidæq; rixæ, Aliquãdo loco ablatiui cum præpositione, datiuum habent. Plautus, Abstine isti hanc tu manum, id est ab ista.

Audiendi

Audio aliquando significat, uocem alicuius animalis, siue alterius rei sonum auribus percipere, & cõstruitur cum accusatiuo, & est primæ speciei, ut attentè satis tuam orationem audiui. Si uerò referatur ad doctrinam, est sextæ, & construitur cum ablatiuo medijs his præpositionibus, A, uel. AB. DE. Ex, E. ut audiui à patre meo, de patre, ex patre, è patre, Idem significare inueniet, qui bonos libros euoluerit. Firmemus id authoritatibus. Audiui à, uel ab. Cicero de Senectute, Sæpe à maioribus natu, audiui. Audiui, De. Cicero. 1. Officio. Audiui hoc de parẽte meo puer. Audiui. È. Idẽ. 1. de Finibus, At etiam Athenis, ut è patre audiebam. Audiui Ex. Idẽ actio. 3. in Verrem. Multos ex te uiros primarios audisse. Aliquando significat obedire, & fit neutrũ secundæ, sed tunc loquimur per participium præsentis, & datiuum dicto, ut audiens dicto. Cicero. Actio. 6. in Verrem, Quæsiui an misisset, respõdit

id, quod necesse erat, scilicet dicto audientem fuisse prætori. Idem Philippica. 7. Et dicto audiens esset huic ordini. Quibus exemplis docemur, hoc participium audiens, duos datiuos interdum admittere, aliquando tamen alter datiuus in genitiuum mutatur. Liuius lib. 1. ab urbe condita, interim Serui Tullij iubere populum dicto audientem esse. Rursus secun [illegible] belli Punici lib. 9. Prætoris dicto audiẽs nõ esset [illegible] quo loquendi genere utimur etiam hoc uer bo [illegible] ut paruit dicto. Postremò iungitur his duob[illegible] rbijs bene & malè, & fit neutrum absolutum, significatq; bonum aut malum rumorẽ colligere. Cicero ad Atticum lib. 6. Hanc nonnulli amici Appij ridiculè interpretantur, qui me idcirco putent bene audire uelle, ut ille malè audiat.

Eripiendi

Eripio quoties habet cum accusatiuo ablatiuum cum præpositione, A, uel, Ab, siue, Abs, plerunq; in bonam partem capitur, ut eripuisti me à periculo: interdum in malam, ut eripuisti à me filiã. Quoties cum accusatiuo habet datiuum, ferè in malam partem accipitur, ut eripuisti mihi omnes bene uiuendi facultates.

De septima classe Actiuorum.

Multi Grammatici inconsultè satis ac sine iudicio septimam classem uerbis actiuis addũt: quam faciunt ex uerbis iubendi, persuadendi, bene aut malè dicendi, quæ pro persona patienti datiuum habent, ut iubeo tibi, persuadeo tibi, maledico, aut benedico tibi: itẽ interdico tibi aqua & igni. Verùm

qui

qui eam addunt, animaduertant necesse est, ut à sua sententia discedant, eiusmodi uerba duplicem habere naturam, transitiuam, & acquisitiuam, illa accusatiuũ posteriorem, hac datiuum exposcere, illa actiua esse, hac neutra secundi ordinis. Si ergo hæc uerba cum accusatiuo construantur & datiuo, sunt actiua tertij ordinis: si cũ solo datiuo, sunt neutra secundi. Non est *igitur opus nouam classe[illegible] fingere pro arbitratu, nam si ex uaria u[illegible] constructione [illegible] species uellemus multipli[illegible] ficeremus, u[illegible] certum numerum & [illegible] redigere non [illegible]ossemus.*

De verbis Passiuis.

Post *uerba actiua, passiuũ uerbum proximum locum tenet, quia ab illis originem trahit, propterea secundo loco de passiuis disserit* Antonius. *Et quoniam hæc materia latissimè uidetur patêre, ne quisquam nos confusionis, aut obscuritatis iure optimo notare poßit, in tria membra partiamur, in uerba scilicet paßiua, uocatiua, & reciproca. De passiuis primum disputabimus, & eorum tractatio tribus illis articulis concludetur, quid sit uerbũ passiuum, in quot species spargatur, & quo pacto orationes ex uoce actiua in paßiuam conuertantur.*

Quid sit verbum Passiuum.

Q*uemadmodum uerbum actiuum ab agendo deducitur, non quòd agat, sed quòd personam agentẽ demonstret, cum qua in numero & persona conueniat: ita passiuum à patiendo dictum est, non*

quòd in significando patiatur, sed quòd à fronte rectum personæ patientis exigat, cum quo in numero & persona concordet Et ne ignores de quo uerbo paßiuo tradi debeat diffinitio, notes oportet triplex esse uerbum paßiuum uoce tantùm, significatione tantùm, uoce & significatione simul. voce tãtùm, Quod habet uocem pasiuam, & significationem actiuam. cuius generis sunt uerba deponentia, ut loquor, obliuiscor. Significatione tantùm, Quod habet significationem pasiuam, & uocem actiuam, cuiusmodi sunt uerba neutra tertiæ & quartæ classis, ut frigeo, exulo. Voce & significatione simul, Quod habet uocem paßiuam cũ significatione pasiua, ut amor, diligor: & tale uerbum dicitur pasiuum paßiui generis, & de hoc erit sermo in definitione.

Est igitur uerbũ paßiuum, Quod desinit in Or, & habet actiuum in O, & exigit ante se nominatiuum pro persona patienti: & ablatiuum cum præpositione, A, uel, AB, uel datiuum pro persona agẽti uel facienti. Præsentem diffinitionem exponamus. Desinit in, Or, ad differentiam actiuorum, & neutrorum, quæ terminantur in O. Et habet actiuum in, O, ut seiungatur à communibus & deponentibus, quæ ea uoce prorsus carent. Et exigit ante se nominatiuum pro persona patiẽti ut differat ab actiuis, & neutris actionem significantibus, quæ regunt ante se nominatiuum pro persona agẽti. Intellige eam partem diffinitionis in suis modis finitis, nã in infinito diuersam habet constructionẽ, quẽadmo-

modum & reliqua uerborũ genera, ut inferius patebit. Aduerte etiam uerba paßiua à fronte regere nominatiuum patientem, uel aliquid loco nominatiui. Verg. 1 AEneid. Cur dextram iungere dextræ non datur? Et ablatiuum cum præpositione, A, uel Ab, pro persona agenti uel facienti, ut distinguatur à reliquis uerbis, quæ casus posteriores habent loco personæ patientis. Notabis personam agentẽ aliquando poni in ablatiuo cum præpositione. A. uel Ab, ut filij à parentibus diliguntur. Aliquando sine præpositione quando significat rem inanimen, ut animus fractus uoluptate, cupiditate: non à uoluptate, & a cupiditate. Aliquãdo in datiuo. Verg. 1. AEneid. Nec cernitur ulli, id est, ab ullo. Interdũ in accusatiuo medijs præpositionibus, per, apud, inter. De, per, Cicero pro domo sua, Quis meminisset eũ bene de Republica meritũ, nisi & ab improbis expulsus esset, & per bonos restitutus? id est, à bonis. De apud, Tacitus lib. 1. Augustus apud prudentes uitæ eius uariè extollebatur, arguebaturq́;, id est à prudentibus. De inter, Cicero pro Sestio, Iudicium inter sicarios committitur, id est à sicarijs. Aliquãdo neque in datiuo, neque in ablatiuo poni potest, ne in Amphibologiam incidamus, ut in uerbis actiuis tertiæ & sextæ claßis fuit à me superiùs annotatum.

Quæritur hac in parte, Vtrùm uerbum paßiuum regere poßit àccusatiuum? Respondeo, ex natura sua regere non posse: sed bene figuratè: idq́; uideo contingere potißimùm quatuor de causis.

Prima, per Synecdochen. Verg. 1. AEneid. *Expleri mentem nequit. Secunda, per transumptionē, quādo uerbum passiuum pro actiuo ponitur.* Horat. in Arte Poetica, *Qui purgor bilem, id est, purgando expello bilem. Tertia, quando componitur cum præpositione, quæ sua natura regit accusatiuū, ut traijcior flumen. Quarta, quando descendit à uerbis actiuis quarti ordinis, ut doceor Grāmaticam* His *causis exceptis, nunquam uerbum passiuum reget accusatiuum.*

Eius tot sunt species.

Spargitur uerbum passiuum in sex species, quēadmodum & actiuum, à quo generatur. Prima cōstruitur à tergo cum ablatiuo & præpositione, A, *uel, Ab, uel cum datiuo pro persona agēti, ut* Deus *amatur à me uel mihi. Secūda post ablatiuum uel datiuum, cōstruitur cum genitiuo uel ablatiuo, ut granarium impletur à me frumenti uel frumento. Tertia post ablatiuum uel datiuū, cum datiuo: ut pecuniæ dantur tibi a me. Quarta post ablatiuum uel datiuum, cum accusatiuo: ut tu doceris à me Grammaticam. Quinta post ablatiuum uel datiuum, cum ablatiuo sine præpositione, ut tu donaris à me corona laurea. Sexta post ablatiuū uel datiuū, cum ablatiuo & præpositione,* Ex, *ut* Grammatica *auditur à me ex te.*

Sed animaduertendum est, quòd cùm mutamus verbum actiuū in passiuum.

Ex superioribus classibus uerborum passiuorū præcipit Antonius, casus illos qui in oratione ponūtur

tur post accusatiuum principalem, nunquam mutari, sed inuariatos perpetuò manere. Absoluamus igitur tertium, quod de uerbis passiuis reliquũ est, quo pacto. s. fiat orationũ conuersio ex uoce actiua in passiuam. Quod ut clarius præcipiamus, notemus oportet, quædam esse uerba, quæ nulla ratione ex passiua uoce in actiuam conuerti possunt, qualia sunt quæ sequuntur, linquor, consternor, creor, desideror, capior, condor, rumpor, afflor, inuehor, discrucior, findor, icor. Vt linquor siue cõsternor animo, creatus est Consul, multi milites in prælio desiderati sunt, uirgines Vestales à summo Pontifice capiebantur, conduntur Tybridis alueo, rũpor inuidia, afflatus fulmine, inuehor in malos, discrucior animi, findor animo, ictus fulmine. Quædã tamen horũ in uoce actiua reperiuntur, sed rarò, & præceptiones de ijs quæ in plerisq; contingũt, tradi solẽt, nõ de ijs quæ tã sunt infrequẽtia, ut crebra authorũ lectio uix unũ aut alterũ exẽplũ suppeditare possit. Cicero Philippica. 14. Quarta legio uictrix desiderat neminẽ. Gelli⁹ li. 1. ca. 12. in libro Fabij pictoris, quæ uerba pontificẽ maximum dicere oporteat, cùm uirginẽ capit, scriptũ est. Et paulò inferi⁹ Quod optima lege fiat, ita te Amata capio.

Sunt alia, quæ in certis quibusdam significationibus ex uoce actiua in passiuam conuerti nequeunt, qualia sunt pario, applico, æquiparo, succollo, maneo, occulo, lacto, fugio, aborto, fallit, præterit, fugit, leto, delecto, oblecto, fœnero, mutuo. Nam eorum priora, uoce carent passiua: posteriora ue-

rò læto, delecto & reliqua, significatione caret passiua, nam fiunt in uoce passiua deponentia, & actionem significant.

Sunt alia postremò, quæ ex uoce passiua in actiuam, ex actiua in passiuam migrare possunt, de quibus traditur sequens regula. Accusatiuus patientis mutatur in nominatiuum eiusdem numeri: uerbum actiuum in passiuum eiusdem temporis & modi, & cum nominatiuo concordat in numero & persona: nominatiuus agentis conuertitur in ablatiuum cum præpositione A, uel, Ab, uel in datiuum, uel in accusatiuum medijs præpositionibus, Per, Inter, Apud, ut paulò ante explicuimus, reliqui casus manēt eodem loco & situ.

Fallit tamē hæc regula uarijs modis. Primò, quādo uerbum actiuum caret supino, ut metuo, disco: unde hæ orationes transire non poterunt in passiuam, metui hostem, didici bonas literas, quia metuo & disco supinis carent.

Secundò, quando accusatiuus est reciprocus, ut omnes homines amāt seipsos. Accusatiuus, se, in nominatiuū mutari non potest, quia eo caret, conuertetur igitur in hunc modum, omnes homines amantur à seipsis. Persona itaq; agens fit patiens in eodē casu & accusatiuus mutatur in ablatiuum agentem. Sed si persona patiens fuerit nomen aliquod quod careat recto, nomen aliud eiusdem significationis in prioris locum succedet: ut fero opem amicis, auxilium fertur à me amicis.

Tertiò, quando uerbū est imperatiui modi, & habet

bet pro persona patienti accusatium, Me, conuerti non potest per imperatiuum, quia caret prima persona: sed huiusmodi oratio fiet per subiunctiuum, ut magister doce me, magister, fac ut ego docear abs te: neq; apte dixeris, à magistro ego docear, quia sensus orationis mutaretur.

Quartò, quando in oratione fuerint iubendi, persuadendi, fœnerandi, aut mutuandi uerba, tunc datiuus mutari solet in nominatiuum: ut iubeo tibi hoc, tu iuberis à me hoc, non, hoc iubetur tibi à me. Persuasi hoc ciuibus, ciues persuasi sunt hoc à me, sed multò uenustius: hoc persuasum est a me ciuibus. Fœnero siue mutuo tibi nummos, tu fœneraris siue mutuaris à me nummos, neq; sic liceret conuertere nummi fœnerantur siue mutuantur tibi à me, quia in uoce passiua deponentia fiunt, nec significare passionē possunt. Similē fere rationem sequuntur oblectandi uerba, ut ego delecto te, non posses sic mutare, tu delectaris à me; sed tu delectaris mecum: quia efficitur uerbum deponens.

Postremò, cum uerbo interdico, regula conuersionis uaria est. Quod ut melius percipere possis: notes necesse est, hoc uerbum interdico uariā habere à tergo constructionē. Aliquando iungitur datiuo & ablatiuo, & satis eleganter (authore Laurentio lib. 3, cap. 39 & tunc est neutrum, ut interdico tibi aqua & igni. Aliquando accusatiuo & datiuo, & est actiuum tertij ordinis, ut interdico tibi aquā & ignem, quę constructio licet à Laurentio negetur, quam plurimis authoritatibus multum suscepit ro-

boris. Suetonius in Domitiano, Interdixit histrioni bus scenã. Liuius. 34. Fœminis duntaxat usum pur puræ interdicemus? Iustinus, Cui paulò antè omnẽ humanam operam interdixerant. Valerius Maximus lib. 2. Interdixit ei conuictum hominum, usumq; balnearũ. Postremò adhæret accusatiuo & ablatiuo, & est actiuũ quinti, Vt interdico te aqua & igni. Cæsar de bello Gal. Omni Gallia Romanos inter dixisset. Verùm hæc constructio cæteris rarior est. Ex prima actiua, fit hęc passiua per uerbũ imperso nale uocis paßiuæ, Interdicitur tibi aqua & igni, quæ locutio frequentissima est. Ex secunda actiua, fit hæc passiua, aqua & ignis interdicitur tibi à me Ex tertia fit hæc paßiua, tu interdiceris à me aqua & igni, cuiusmodi locutio non admodũ frequens est apud authores. Cæterùm si interdico pro obsistere uel obstare ponatur, cum solo datiuo cõstruitur: & est neutrũ secundi ordinis. Cice: in Verrem, Pater improbus, cui nemo interdicere posset.

De verbis Vocatiuis.

Absoluimus uerba passiua: agamus de uocatiuis, breuiterq; explicem⁹ quid sint, quid significent, quo pacto construantur. Cùm uerba uocatiua à uocãdo dicta sint, quòd his soleamus in nostris appellationibus uti: illa dicuntur uocatiua, quibus nomina perso nis imponimus. Sunt tamen propriè quinq;, dicor, uocor, nominor, appellor, nũcupor: nã illa cognomi nor, agnominor, inscribor, salutor, & similia, nõ uo catiua, sed quasi uocatiua appellãtur à Grãmaticis.

Quid significent.

Hæc

Hæc uerba nō minus significant passionē, quam passiua, sed dicūtur uocatiua, quòd per ea uocemur & quod utrinq; tā à frōte, quam à tergo nominatiuū regāt, ac propterea inter reciproca numerātur Hanc autem appellationem non habent eorum actiua, cùm eam constructionem non sortiantur.

De constructione vocatiuorum.

Verba uocatiua descendunt à uerbis actiuis regētibus duos accusatiuos pro eadē re acceptos, ut uoco te uirum iustum. Exigunt quemadmodum & reciproca, duos nominatiuos, alterū à fronte, alterū à tergo pro eadē etiā re acceptos, ut ego uocor uir iustus. Nec licebit addere ablatiuū cū præpositione loco personę agentis à Petro, uel ab Antonio. Secus est, si passiua sint horū uerborū, uoco, appello: tunc enim bene licebit loqui per ablatiuum cū præpositione, ut ego uoco te Petrū, tu uocaris à me Petrus. De cōstructione infinitiuorū, qui à uerbis uocatiuis formātur, nō est animus quicquā præsenti loco dicere, quia eandē prorsus cōstructionē habēt cū infinitiuo, esse, de quo in materia infinitiuorū latissimè disputabimus: & quæ de eius cōstructione regulæ tradētur, uerbis uocatiuis & reciprocis etiā deseruiēt. Illud tamē dicere nō pigebit, horū uerborū gerūdia nullū casum à tergo regere, quia in significatione passiua gerundia omni casu priuari solent: fient autem huiusmodi orationes per subiunctiuum, ut ueni Complutum, ut dicar, siue habear sapiens, non gratia dicendi, siue habendi sapiens.

Quot modis latinè poteris, q̄ voceris expmere

Et quia

Et quia uideo non tantum pueros, quorum ignorationi parcendum est, sed uiros etiã doctos, qui sine graui culpa errare non possunt, hac una in re hallucinari, & uix scire, qui uocẽtur, Latinè & elegãter exprimere, ideò placuit de hoc etiã pręcepta tradere. Quatuor modis rogare solemus de nomine proprio alicuius, & totidẽ respondere. Primò rogamus per relatiuum qui, & uerbum uocatiuum, & respondemus per idem uerbum uocatiuum, & nomẽ proprium in nominatiuo, ut qui uocaris? R. uocor Petrus, non quomodo uocaris, quia huiusmodi interrogatio barbarismi notari solet.

Secundò interrogamus per hanc orationẽ, quod tibi nomen est? Respondemus aut per nominatiuum, est mihi nomen Petrus, aut per genitiuũ Petri, aut per datiuum Petro. De nominatiuo Plautus in Menæchmis, Mihi est Menæchmus nomen. De genitiuo, Idem in Amphitryo. Nomen Mercurij est mihi. De datiuo, Liuius. 1. lib. Decadis. 1. Cui Faustulo nomen fuisse ferunt. Verg. AEneid. 1. Cui nunc cognomen Iulo. Et hic loquendi modus per duos datiuos, cæteris multò & elegantior & politior est. Tertiò quærimus per hanc orationem, quod nomen habes? Respondemus aut per nominatiuum, habeo nomen Petrus, aut per genitiuum Petri, aut per accusatiuum Petrum. De nominatiuo, Ouidius. 1. Metamor. Lactea nomen habet. De genitiuo passim ad manũ sunt exẽpla. Responsio uerò quæ per accusatiuum fit, non habet tantum nitoris & elegantiæ. Quartò, fit interrogatio per hanc orationẽ, quó nomine ap-

pella-

pellaris: Et respondere licebit, aut per nominatiuũ, appellor nomine Petrus, aut per genitiuum, aut per ablatiuum. Si uelis significare nomen, quod tibi a sacerdote in sacro Baptismate inditum fuit, id facies eleganter per duo uerba indo, & impono: dummodo per nominatiuum, genitiuum, datiuum, aut postremò per accusatiuum loquaris, in hunc modum. Sacerdos indidit siue imposuit mihi nomen Petrus, Petri, Petro, Petrum. verùm priores responsiones usitatiores sunt.

De co ordãtia vocatiuorũ cũ nominatiuis.

Illud postremò de uocatiuis notabis, nimirùm uerba uocatiua Latinè & eleganter poni posse inter nominatiuos diuersi numeri, & tunc ferè cum præcedente conuenire in numero & persona: ut hæc urbs uocatur Athenæ. Quòd si uterq; præcedat nominatiuus, similiter cum uiciniore cõcordãt, ut hæc urbs Athenæ uocantur. Hæc satis de uocatiuis.

De Reciprocis.

Verba reciproca cùm à reciprocando, hoc est repetendo dicta sint, casum similem præcedenti exposcunt. Hæc autem duplicia sunt, actiua, & passiua. De actiuis, qualia sunt ambulo, incedo, euado, in cõsiderationibus erit sermo. De passiuis est præsens institutum qualia sunt scribor, habeor, iudicor, prædicor, agnoscor, existimor reputor, censeor, quibus etiã additur uideor. Hæc passionem significant quẽadmodum & uerba passiua. dicuntur tamẽ reciproca quia à tergo regunt casum similẽ præcedenti, ut habeor doctus, prædicor sapiens, iudicor probus, ne

que

que opus est ablatiuum addere cum præpositione. Descendunt autem, quemadmodum & uocatiua, à uerbo ... agentibus duos accusatiuos pro eadem re ... ptos.

Quotuplex sit reciprocatio.

Reciprocatio duplex est, rei, & casus. Rei est agētis passio, hoc est quādo persona agēs patitur: ut Petrus amat se. Casus, est repetitio eiusdem casus à tergo, qui erat à fronte, & de huiusmodi Reciprocatione loquuntur Grammatici in præsentia.

Inter uerba reciproca numeratur hoc uerbū, uideor, quod si referatur ad sensus exteriores, habet constructionem uerbi passiui, ut Paries a me uidetur, hoc est proprijs oculis parietē intueor. Si ad interiores, deponēs uerbū est, & tunc loquimur per uideor mihi aut tibi, uideris mihi aut tibi, in hunc modum, uideor mihi sapiens, uideor tibi sapiens, uideris mihi sapiēs uideris tibi sapiēs, non uidetur mihi: quòd sim sapiēs, aut uidetur tibi quòd sim sapiēs, nam rusticanus hic sermo est, & planè agrestis.

De verbis Neutris.

Definitis probeq; explicatis uerbis actiuis ac passiuis, tertio loco disserit Nebrissensis de neutris. Quæ ideo neutra dicta sunt, quòd neq; actiua, neq; passiua sint, nō actiua cū uocē passiuā in, Or, non habeāt, nō passiua, cùm nō desinant in, Or. Itē etiā quia nec planè actiuā nec planè passiuā significationē sortiuntur, nā uerbis actiuis proprium est, ac ueluti naturale significare actionē, passiuis passionē, quod alienum est a natura uerborum neutrorū, quę

partim

partim actionem, partim passionem significant. Exponamus iā, quidnā sit uerbum neutrum, & in quot species distribuatur

Quid sit verbum neutrum.

Vt intelligas de quo uerbo neutro tradi debeat definitio, nota triplex esse uerbum neutrum. Quoddam est uerbum neutrum actiuum, quoddam neutrum passiuum, quoddam neutro passiuum. Verbum neutrum actiuum est, quod significat actionem, ut seruio, careo. Verbum neutrum passiuum, quod significat passionē, aut innatam, ut caleo, frigeo, aut illatam, ut uapulo, exulo. Verbum neutropassiuum, quòd cùm uerbum neutrum sit, præteritum tamen habet passiuum, ut audeo ausus sum, gaudeo gauisus sum, soleo solitus sum. De prioribus duobus generibus neutrorum propriè traditur definitio, quæ sic se habet, Verbum neutrum est, quod desinit in O, & non habet passiuum in Or, & exigit ante se nominatiuum rei agentis in significatione actiua, & rei patientis in significatione passiua, post se uerò omnes obliquos præter accusatiuum. Exponamus huius finitionis partes. Desinit in O, ad differentiam passiui, deponentis, & communis, quæ omnia desinunt in Or. Et non habet passiuum in Or, ad differētiā uerbi actiui, quod habet uocē passiuā in Or. Et exigit ante se nominatiuū rei agētis in significatione actiua, nā uerba neutra significantia actionem, qualia sunt primæ, secūdæ, & quintæ speciei, exigunt ante se nominatiuum pro persona agente uel faciente, ut ego seruio. Et rei patiētis in signifi-

ſignificatione paſsiua. Nā quæ paſsionē innatā, aut illatā ſignificant, qualia ſunt uerba tertiæ, quartæ claſsis, exigunt ante ſe nominatiuum pro perſona patienti, ut ego ardeo, tu friges. Intellige etiā hāc partē in modis finitis, nā modus infinitus diuerſam in omnibus uerborum generibus habet conſtructionē, ut in materia infinitiuorum latiſsimè patebit. Poſt ſe uerò omnes obliquos præter accuſatiuum. Nā uerba neutra quatenus neutra ſunt, cum accuſatiuo conſtrui non poſſunt, admittunt tamen à tergo reliquos obliquos pro claſsium diuerſitate, niſi fortè ponatur abſolute in oratione ut ego ſedeo, tu ſtas.

Hæc diffinitio traditur de uerbis integris & regularibus, non de defectiuis, aut de ijs quæ reliquorum normā non ſeruant, quod dictum uolo propter ſum, memini, cœpi, & reliqua id genus, quæ inter neutra numerantur, carent tamen uoce actiua in. O Traditur etiam de neutris, quæ in actiua nō tranſierunt, nā illa dormio, uiuo, iubeo, impero, fiunt ſæpe actiua, & propterea in uoce paſsiua frequētiſsime reperiuntur, ut in his locutionibus, iam tertia uiuitur ætas, tota mihi dormitur hyems, tu iuberis, ciues ſunt oratione perſuaſi.

In quot ſpecies, diſtribuantur

Verbum neutrum in quinq; ſpecies diſtribuitur nā quinq; modis tantùm à tergo conſtructum reperitur. Quæ cum genitiuo uel ablatiuo cōſtruuntur primam claſſem cōſtituunt. Quæ cum datiuo, ſecundā. Quæ cum ſeptimo caſu tertiā: Quæ cum ablatiuo & præpoſitione A uel ab quartam. Quæ cum

nullo

nullo casu nisi media præpositione, quintã. De quibus operæpretium erit sigillatim tractare.

De prima classe Neutrorum.

Verba huius claßis à fronte nominatiuum agentẽ requirunt, à tergo genitiuum uel ablatiuum patiẽtem sine præpositione: ut careo pecuniarum uel pecunijs. Ac licèt tam genitiui quàm ablatiui cõstructio omnibus uerbis primæ classis communis sit, & propria, ut quæ hanc speciem cõstituit: communior tamen est ablatiui constructio, & apud bonos authores magis frequens. Genitiuus uerò non poßeßionẽ (ut quidam Grammatici somniarunt) sed paßionem significat, cùm in eum transeat uerbi actio. Postremò uerba huius ordinis, quemadmodum & reliqua uerba neutra, dicuntur significare debilem trãsitionem, cùm eorum actio non in accusatiuum, sed in genitiuum uel ablatiuum, aut reliquos obliquos dirigatur, ac propterea obliqua transitio dicta est: quæ uerò in accusatiuum refertur, transitio recta à Grammaticis est appellata.

De multiplicibus verbis primæ claßis Neutrorum.

Quadruplicia sunt uerba huius claßis. CARENDI, *seu indigendi, ut careo, egeo siue indigeo, uaco.* ABVNDANDI, *ut abundo, redundo, affluo, exubero.* SATAGENDI, *ut satago.* ABSTINENDI, *ut abstineo, supersedeo.*

Carendi & Indigendi verba.

¶ Careo & indigeo differunt: nã caremus rebus desideratis, inest enim (teste Cicerone prima Tuscula

na) uelle in carēdo: indigemus uerò rebus ad illæ cō ſeruationem neceſſarijs. Sed id nō ſemper uerū eſt, nā nō inuenuſte dicimus, carere culpa, uitio crimine, labe, febri quartana, quarum rerū nos nō tenet deſiderium. Itē careo cum ablatiuo, indigeo cū genitiuo frequētius conſtruitur. Careo præter uulgatā cōſtructionē genitiui & ablatiui olim accuſatiua regebat. Plautus in Curcul. Perdit⁹ ſum, quia id, quod amo, careo. Itē Marcus Varro dixit, Multa careo. Cæterū propriè accuſatiuū regit. cùm ſignificat lanā carminare. Plautus, Ancillas ſedere iubeas lanā carere, id eſt, carminare. Ab hoc uerbo quatuor deſcēdunt participia, carens, cariturus, caſſus, carēdus Cice. de Natura Deorum, Meliora ſunt, quàm ea quæ ſunt his carentia. Iuuenalis, Cariturus turture magno. Verg. 2. AEneid. Nūc caſſum lumine lugent: tametſi Priſcian. aſſerit nomen eſſe, & uacuū ſiue priuatum ſignificare. Ouid. in Epiſtola Penelopes, Virq; mihi dempto fine carendus abeſt.

Vaco ſignificat aliquando operā dare, & exigit datiuum, fitq; neutrum ſecundæ claſsis: ut uaco ſapiētiæ, id eſt, do operā ſapientiæ. Aliquādo cōtrariā habet ſignificationē, & deſiderat ablatiuum cum præpoſitione, ut uacare à ſapiētia, id eſt, nō dare operā ſapientiæ. Interdum ſignificat carere, & petit ablatiuum ſine præpoſitione, & eſt huius ordinis, ut uaco culpa, crimine. Cicero. 1. Officio. Omnis actio uacare debet temeritate, & negligētia. Quo ſenſu ablatiuum etiā habet cum præpoſitione A, uel Ab. Cæſar lib. 3. bellorum Ciuilium. Hæc à cuſtodibus claſſium

sium loca maximè uacabant. Interdum capitur pro otium est, & fit impersonale: & aliquando ponitur absolutè ut uacat, non uacat, aliquando cum casu, ut uacat mihi, non uacat mihi. Sæpe sequitur infinitiuus. Verg. 2. AEneid. Et uacat annales nostrorum audire laborum.

Abundandi.

Abundo, affluo, & reliqua uerba copiam significantia, frequentius adhærent ablatiuo, ut abundat siue affluit diuitijs. Iunguntur etiam genitiuo. Vergilius in Bucolicis. Quàm diues niuei pecoris, quàm lactis abundans. Hæc, oratione conuersa, petunt datiuum, ut mihi diuitiæ si affluxerint, ad eas mentē cogitationemq; non conuertam.

Satagendi.

Satago, à satis & ago cōpositum est, & cōstruitur cum genitiuo uel ablatiuo, ut hic satagit rerum suarum uel rebus suis. Frequentiùs tamen ponitur absolutè. Cæsar in cōment. Qui satagentibus celeriter occurrant. Aliquando resoluitur, eadem seruata cōstructione. Plautus in Bacch. Nūc agitas sat tute rerū tuarū. Est cùm ablatiuū accipit cū præpositione, De. Aulus Gellius li. 9. Instruebātur acies à Cōsulibus, de ui ac multitudine hostium satagentibus.

Abstinendi.

Abstineo sextæ actiuorum est, raró tamen cum genitiuo construitur, & in hoc ordine reponitur. Vnde Horat. dixit in Odis, Abstine irarum. Abstine risus, Terentius. Cum uerbis præcedentibus numerantur & illa, quæ sequuntur, sto & consto.

Quæ si pretiū significent sunt secundæ actiuorum: ut sapientia magno stare siue constare solet. Sed si sto significet consistere, & consto compositum esse, sunt huius classis, ut stare dictis, promissis: itē homo anima & corpore constat, id est cōpositus est. Superioribus accedit memini: quod uerbū cum significat memoria tenere, siue recordari, tripliciter construitur. Cum genitiuo, Seneca lib. 5. Controuersiarum. Illa dū meminit nouercæ, matris oblita est. Cum accusatiuo Verg. in Bucolicis, Numeros memini. Cū ablatiuo & De, Cicero pro Lucio Flacco, De copijs memineritis. Si significet mentionē facere, cum genitiuo & ablatiuo tantum construitur, cū accusatiuo minime, ut Cicero meminit huius rei, uel de hac re, hoc est mentionē facit. Item uerbū substantiuum sum, cum cōstruitur cū genitiuo, & fastidit, & pendeo, ad hanc speciē reducūtur, ut uirtus est hominis. Plautus in Aulularia, Fastidit mei, quia uidet me suam amicitiam uelle. Item animi pendeo, pro dubium esse & ancipitem.

De secunda Neutrorum.

Neutra secundæ exigunt à tergo datiuū acquisitiuū, & propterea acquisitiua appellantur à Grāmaticis: & hic datiuus est proprius casus speciei, cū eā constituat, ut seruus frugi seruit dño fideliter.

De multiplicibus verbis secundæ classis.

Verba huius classis adeò multa sunt, ut in certum numerum colligi non possint: ea tamen deprehendere licebit, aut compositione, aut significatione. Compositione tripliciter. 1. omnia cōposita à uerbo substantiuo,

stātiuo, sum, cum datiuo construūtur: & in hoc gradu reponuntur. ut adfui siue interfui lectioni, præfui exercitui, profuit siue obfuit mihi. Excipitur *possum, quod aut absolutum ponitur in oratione, ut plurimùm potest uirtus apud omnes: aut cōstruitur cum accusatiuo, ut* Deus *omnia potest.* Deinde *composita ab his aduerbijs bene, malè, satis, ut lex diuina iubet omnibus benefacere, nemini malè, cumulatè satisfacere alicui.* Quæ *uerò cum satis composita sunt, si genitiuo iungantur, genitiuus ab aduerbio satis, non à uerbo ex natura sua regetur, ut satis dedit pecuniarum,* Postremò *cōposita cum his prepositionibus,* In, *ut inseruio, insto, illudo, inuideo.* Sub, *ut subuenio, succurro, supplico,* Ad, *ut assurgo, adsto,* Præ, *cum uerbis excessus, ut præuenio, præcello, præsto, præcurro.* Quæ *omnia licet cum accusatiuo constructa reperiantur aliquando, plerunque tamen sunt huius ordinis.*

Deprehenduntur *etiam significatione.* Et *primùm omnium ponuntur in hac specie,* CEDENDI *uerba ut cedo,* FAVENDI, *ut studeo, faueo, aspiro,* PARCENDI, *siue indulgendi, ut parco, ignosco, indulgeo.* SERVIENDI, *ut seruio, inseruio.* Postremò TIMENDI, PROVIDENDI, PLACENDI *cū cōtrarijs, ut timeo, metuo, prouideo, placeo, displiceo.* De *primis aliquid notemus necesse est,*

De Cedo.

Hoc *uerbum cedo, si diphthongo scribatur, significat propriè flagellare, & est perpetuò actiuum primæ, ut uirgis aliquem cædere ad necem,*

Si scribatur sine diphthongo significat aliquādo da re locum alicui, & est actiuum tertiæ, ut cede locū maiori, Interdum significat uictum se fateri, aut alicui non repugnare, & est huius formę, & ex uarijs datiuis quibus iungi solet, uariæ etiam loquendi formulæ promanarunt, ut cedere fortunæ, oneri religioni, authoritati, tēpori, precibus, hoc est his omnibus succumbere, & ab his se uictum fateri. Interdum capitur pro discedere & construitur cum ablatiuo, aliquando sine præpositione, aliquando medijs his præpositionibus, A, De, Ex. Vt cedere patria, urbe, domo, foro, uita, iure, possessione. Siue cum præpositionibus prædictis.

Studendi.

Studeo pro fauere, est huius ordinis. Cicero pro Cælio, Multi boni adolescentes illi homini nequam atq; improbo studuerūt. Significat itē alicui rei opera dare, & iungitur aliquando datiuo: aliquādo accusatiuo. Datiuo, ut studere rebus nouis, pecuniæ, imperijs, opibus, laudi, gloriæ, artibus, disciplinis: quæ in frequenti usu sunt apud probos authores. Accusatiuo in eadem significatione. Cicero de reditu suo. Cùm uerò literas studere cœpit, captus est uno uerbo uoluptatis. Regit quoq; accusatiuū ex ui idiomatis Latini, cùm capitur pro uolo siue affecto. Cicero sexta Philippica. Vnum sentitis omnes, unum studetis, id est, affectatis. Postremò adhæret ablatiuo siue accusatiuo, præpositione In interiecta. Gellius lib. 11. Si quis in ea re studebat, Fabius lib. 10. Poetæ in id solum student.

Parcendi & indulgendi.

Parco & indulgeo ex uarijs datiuis, quibus sociari solent, uariã significationẽ sumunt, unde parcere ualetudini, uitæ, auribus, dolori, iracũdiæ. Itẽ indulgere ludo, nugis, amori, Veneri, genio, hoc est, operã dare. Huius naturæ est incumbo, ut studijs incumbere uel (Latinè magis) in studia. Cæterum parco pro conseruare, actiuum est. Verg. 10. AEneid. Argẽti atq; auri memoras quæ multa talẽta Natis parcere tuis id est, serua. Postremò indulgeo cum accusatiuo etiam reperitur cõstructum apud Terentium, ex imitatione antiquitatis, in Heautontimo. Eijciũda hercle hæc mollities animi, nimis me indulgeo. Si uerò capiatur pro sese dedere, siue permittere, nullus negat actiuum esse tertiæ Iuuenalis Saty. 2. Ardenti sese indulsisse Tribuno, hoc est permisisse.

De tertia neutrorum.

Verba huius speciei à fronte exigunt nominatiuum patientis, à tergo ablatiuum sine præpositione, uel effectiuum agentis, ut ardeo calore. Ablatiuus uerò ille proprius est speciei: cùm eã constituat & regitur aut ex natura uerbi aut ex ui instrumenti. Notabis tamen, huiusmodi uerba & significationem & constructionẽ uerborum quartæ gerere, nã cum ablatiuo & præpositione A uel Ab constructa reperiũtur, tu uerò id non trahes in usum cõsuetudineq; loquẽdi. Ouid. 1 Meta. Postquàm uetus humor ab igne percaluit solis. Idẽ alibi. Tumida feruebat ab ira Idẽ etiã alibi. Pluuioq; madescit ab austro. Cice. 2. de Natura Deorũ. Ea calescit primùm ab ipso spũ.

Sunt etiam absoluta, ut ego palleo, tu friges.

Præcipiunt ueteres Grammatici, uerba huius claßis hoc potißimũ de nomine à uerbis quartæ differre, quòd hæc significãt paßionẽ innatam, hoc est intus natam, ut ardeo amore, æstuo febri, illa uerò illatã; hoc est aliũde siue extrinsecus prouenientẽ, ut discipulus uapulat à magistro. Verùm ea differentia nulla est, nam uerba huius formæ paßionẽ etiam aliunde illatam significant. Nullus enim sanę mentis huiusmodi locutiones negabit Latinas esse, Ardeo solis feruore, caleo igni, frigeo gelu, terræ humore madescunt equorum ungulæ. Nos itaq; eã differentiã aßignamus, quòd uerba tertiæ tam innatã, quàm illatã paßionem significant, quartæ, illatam tãtùm.

De multiplicibus verbis tertiæ clasśis.

Sexcuplicia sunt huius claßis uerba. CALORIS, & frigoris, ut caleo, ferueo, æstuo, flagro, frigeo, algeo. INCHOANDI, ut frigesco, feruesco, calesco. Itẽ TERMINATA IN FIO, ut calefio, frigefio, tepefio. MANANDI, ut mano, fluo, scaturio. GAUDENDI, cum contrarijs, ut gaudeo, exulto, gestio, doleo, mœreo. Postremò CRESCENDI, ut glisco, cresco, augesco. Illa etiam ad hanc speciem reducuntur, areo, uireo, palleo, squaleo, tumeo, madeo, & similia.

De verbis inchoandi.

Veteres Grammatici (ut testis est Laurentius lib. 1. Elegantiarum cap. 22) uno ore uniuersi affirmarunt uerba in, sco, ut calesco, frigesco, significare inchoationem quandam, ac propterea appellari debere inchoatiua. Verùm Laurentius [illegible]

senten-

sententiam confutat, & multis cùm rationibus, tum authoritatibus probat, hæc uerba augmentatiua potiùs appellanda, & passionem intrinsecus natam significare, cum incremento tamen assiduo atque continuo eiusdem passionis: ut calesco, indies calidior fio, ægresco, indies fio æger. Est tamen duplex differentia inter hæc uerba, & primitiua à quibus formantur. Prior est in significatione, nam primitiua passionem perfectam & iam consummatam significant, ut frigeo, id est, frigidus sum, deriuata uerò significant paßionem nondum perfectam, sed tātum inchoatam, ut frigesco, id est, frigidior fio. Posterior est in resolutione, nam primitiua resoluuntur per uerbum substantiuum & nomen adiectiuum, ut caleo, id est, calidus sum, deriuata uerò pèr adiectiuum & fiò, ut calesco, id est, calidior fio. Vnde colliges nullam esse differentiam inter uerba in sco, & fio, cùm utraque passionem similem significent.

Manandi.

Hoc *uerbum mano, reciprocam quandam habet constructionem*. Nam *aliquando construitur cum ablatiuo sine præpositione, & tunc locus qui manat ponitur in nominatiuo, liquor uerò in ablatiuo ut fons manat aqua.* Aliquando *construitur cū ablatiuo & præpositione,* Ex, *& tunc liquor qui manat, ponitur in nominatiuo, locus à quo manat, in ablatiuo cū præpositione, ut aqua manat ex fonte.* Interdum, *ex more magis* Poetarum *quàm* Ora*torum, construitur cum accusatiuo.* Horatius.1.Epi*stola.19.epistola,* Fidis *enim manare* Poetica *mella*

te solum.

De quarta neutrorum.

Verba quartæ formæ, neutra passiua dicta sunt à Grammaticis: *Neutra, quia non habent passiuam uocem in* Or: *Paßiua, quia passionem illatam significant, hoc est* à *causa exteriori procedentē, & more uerborum passiuorum construuntur.* Exigunt *enim à fronte nominatiuum patiētem, à tergo ablatiuum cum præpositione* A, *uel* Ab, *agentem, ut discipuli uapulant* à *magistro.* Differunt *tamē à paßiuis, quòd datiuum loco personæ agentis recipere nō possunt, reliquos uerò casus perinde ac passiua possunt admittere.* Ablatiuus *uerò hic ueluti proprius est speciei, cùm eam constituat.*

De verbis quartæ classis.

Quinque sunt uerba huius claßis, exulo, liceo, uapulo, ueneo, fio. Verùm tria posteriora ablatiuū personæ recipere possunt, ut fures uapulant à Lictoribus, serui ueneunt à *mangone, domus fit ab architecto.* Duo *uerò priora exulo & liceo, similem ablatiuum recipere non solent, nec enim dices, homicidæ exulant* à *prætore, liber licet* à *me.* Sed *exulo recipit ablatiuū loci, ut homicidæ exulant* à *patria, ab urbe,* à *focis & aris.* Item *recipit reliquos locorum casus, ut exulo* Compluti, *uel* Compluto. *Quādo uerò ablatiuus personæ intercesserit, aut fiet oratio per accusatiuum cum,* Per, *ut exulat per prætorem, per* Regem. *Aut per uerba relegor, agor, mittor, cum nomine exilium: ut relegatur à* Prætore, *agitur siue mittitur in exilium* à *prætore.* Neq;

est

est quòd Antonium in crimen uoces, cùm ille puerorũ gratia, quos Grãmaticis præceptis formare studebat, illa exempla composuerit, in quibus ablatiuus personalis est: ut scilicet apertè & planè significaret hæc uerba cum ablatiuo construi. Liceo etiã, ablatiuum agentem repudiat, nam plerunque absolutum ponitur in oratione. Si uerò personalis casus interuenerit, fiet etiam oratio per accusatiuũ cum, Per, ut per me licet liber. Casus tamen pretium uel æstimationem significantes semper licebit illi apponere. Mart. lib. 6. Paruo cùm pretio diu liceret Cicero ad Atticum lib. 12. De Drusi hortis quanti licuisse tu scribis, id ego quoque audieram.

Quidam adscribunt huic speciei uerbum nubo, sed falsò, nam est secũdæ neutrorum, ut puella nupsit uiro: non nego posse etiam reperiri alterius speciei, nam mutata Syntaxi, uerba in aliam & aliam speciem transire solent. Cicero lib. 2. de Oratore, Quocum nupta erat matertera nostra. Aulus Gellius lib. 1. Vt una apud duos nupta esset.

De quinta Neutrorum.

Huius ordinis uerba dicuntur absoluta natura, quia nullum casum post se regunt pro persona patienti, nisi media aliqua præpositione. Cætera uerò uerba, cùm suis casibus posterioribus quos sua natura regere solent, priuantur, dicũtur absoluta casu: ut ego amo, tu doces. Exigunt igitur à fronte nominatiuum agentis, à tergo accusatiuum uel ablatiuum patientis, media tamen præpositione, ut ego uiuo in urbe, eo in forum, in ecclesiam. Hic tamen ac-

cusatiuus uel ablatiuus cum præpositione, casus proprius non est, sed tanquam proprius, cum quintam speciem constituat à reliquis diuersam ac distinctā, Possunt tamen huius speciei uerba accusatiuum regere, quinque modis. Primò, cum accusatiuus ille significat rem uerbi, ut uiuo uitam, dormio somnum, nauigo æquor, sed tunc potiùs actiua, quàm neutra dicenda sunt. Secundò, per Synecdochen: ut tremis pauore ossa, id est, habes oßa pauore trementia. Tertiò, per transumptionem, quando uerbum scilicet neutrum ponitur pro actiuo ut auorū & proauorum nomina sonare, id est, superbo quodam & elato sono repræsentare. Quartò, per Enallagē partium orationis, quando una pars orationis pro alia ponitur: ut bacchanalia uiuit, dulce sonat, furit indomitum, id est bacchanaliter, dulciter, indomite. Quintò, compositione, quando scilicèt componuntur cum præpositione, quæ sua natura accusatiuum regit: ut obire mortem, adire periculum.

De multiplicibus verbis quintæ clasis.

Quadruplicia sunt uerba huius claßis. VIVENDI, ut uiuo, dego: MOVENDI seu quiescēdi, ut eo curro, uenio, incedo, deambulo, sto, sedeo, quiesco: CERTANDI, ut certo, pugno cōtēdo, NATVRAE, ut pluit, grādinat, ningit, fulgurat, tonat. In omnibus his uerborum generibus nihil est annotatione dignum, præterquàm in uerbis pugnandi, de quibus uerbum unum dicamus.

Pugnandi.

Verba pugnandi in compositione actiua fiunt, licet

cet non componantur cum præpositione accusatiui, ut impugnauit hostes, propugnauit urbē, oppugnauit oppidum. Hæc item datiuum regunt more Græcorum, ut noli mihi contendere. Si uerò mutent significationem, mutabunt etiam genus, ut contendo, si pro comparare, aut pro uehementer extendere capiatur, actiuum erit: ut contendere purpurā Tyriam cum Aquinate, contendere oculos, arcum, animum.

Animaduertendum est hoc verbū Sum es fui.

Quoniam uerbum substantiuum fons est, & caput omnium aliorum uerborū, propterea in nullo genere determinato constituitur sed eminentia quadam ac dignitate præcellens, liberū ac sui iuris esse censendum est. Et quoniam uariam habet constructionem, in certam quandam speciem cadere non potuit, unde non immeritò illud à reliquis separauit Author, & præsenti loco seorsum de illo suscepit disputationem. Exordiamur igitur uerbi substantiui tractationem, ab eius definitione.

Verbum sustantiuum est, Quod significat substantiam uel essentiam rei, sine actione uel passione, & cæteris uerbis substat, uel in coniugando, uel in resoluendo. Membra definitionis explicemus. Quod significat substantiam uel essentiam rei. Nam uerbū substantiuum substantiam significat, quæ soli Deo propriè conuenit, qui cùm æternus sit, & nec mutari nec corrumpi possit, solus uerè esse dicitur iuxta illud Exodi, Ego sum qui sum, & rursus, Qui est, me misit. Cætera uerò cū corruptioni uarijsq;

mutationibus subiecta sint, nõ ita dicuntur esse, cùm eorum natura tota à Deo Opt. Max dependeat. Sine actione uel passione. Hac parte definitionis excluduntur uerba adiectiua, quę non substãtiam, sed actionem uel passionem significant ut amo, lego, amor, legor, quam uerbum substantiuum nunquã importat. Et cæteris uerbis substat, uel in coniugando uel in resoluendo. Nam quemadmodum substantia ipsa cunctis accidentibus substat, neque accidentia ullo modo esse possunt, nisi quãtisper substantiæ adhærescunt, sic uerba, quæ aliquid certum nobis dicuntur significare, uerba ullo pacto esse nequeunt, nisi quatenus substantiuum uerbum includunt, hoc est uim illam copulandi suppositum cum apposito. Solet autem substare in coniugando quinque tantùm generibus uerborum, quæ in sua coniugatione uerbo indigent substantiuo. Verbis primùm passiuis, ut amatus sum: Deponentibus, ut locutus sum: Communibus, ut largitus sum: Impersonalibus passiuæ uocis, ut cursum est, Neutro passiuis, ut gauisus sum. In resoluendo uerò substat omnibus uerbis cuiuscunque generis, & naturæ sint, quæ resolutio, si uerbum sit actiuum, fit per participium præsentis, & uerbum substantiuum, ut ego amo, id est, sum amans, si passiuum, per participium præteriti, & idem uerbum, ut ego amor, id est, sum amatus. Hac parte definitionis excluduntur uerba illa, fio, exto, existo, quæ substantiua non sunt, cùm nec in coniugando, nec in resoluendo cæteris substent uerbis, sed ipsis ut cæteris, substet sum, dicuntur tamen

quasi

quasi substantiua, quia in sua syntaxi, uerbi substantiui naturam imitantur.

De constructione verbi substantiui.

Proximū est, ut agamus de cōstructione. Hoc uerbū, sum, aut est impersonale, aut personale, si impersonale sit, suā habet peculiarē cōstructionē, de qua in impsonalibus dicemus. Si psonale sit, ponitur aliquado absolute, aut quando post se nō regit casum, ut Deus est, aut quādo sequitur aduerbiū, ut Deus est ubiq;, aut quādo sequitur casus cū præpositione ut Deus est in omni loco. Interdum ponitur inter duos nominatiuos, quorum alter à frōte regitur, alter a tergo, & siue sint eiusdē psonæ, siue diuersæ, ut Petrus est cordatus homo, ego nō sum tu, siue eiusdem generis, siue diuersi ut Deus est iustissimus Deus est summū bonum. siue eiusdē numeri, siue diuersi, ut Deus est misericors, Deus est deliciæ meç, semp cōcordabit cū præcedēti. Si uerò uterq; nominatiuus præcesserit, cōcordabit cū uiciniore. Ouid. 1. Meta. Omnia pontus erat Tacitus lib. 4. Præcipuum robur octo legiones erant. Terentius in Andria, Amantiū iræ redintegratio amoris est Aliquādo tamen concordat cum remotiori. Valerius Maxi. lib. 4. Dotis modus quadraginta millia æris fuit.

Construitur etiam cum genitiuo quatuor potissimùm modis. Aut ex ui possessionis, ut herba est suauissimi odoris. Aut ex ui æstimationis, ut pluris est uirtus quàm pecunia. Itē ex ui loci, ut sum Compluti postremo ex ui laudis, uel uituperationis, ut uir est magnæ sapientiæ, aut magni uasi.

Adhæret etiam datiuo, aliquando simplici, ut est mihi seuerissima nouerca, aliquando geminato, ut est mihi lucro, uoluptati, curæ, usui, honori, infamiæ. Quorum posterior exponi solet per accusatiuum, cum In, uel Ad, ut est mihi lucro, id est, in lucrum, uel ad lucrum, & sic de reliquis. Qui loquendi modus per duos datiuos elegantior est, quàm si per datiuum & nominatiuum loqueremur, in hunc modū, Est mihi lucrum, uoluptas, cura.

Cum accusatiuo construi propriè non potest, impropriè tamen tribus modis regere accusatiuum potest. Aut quādo capitur pro Edo. Verg. 4. Æenei. Est mollis flamma medullas, id est, exedit. Aut si accusatiuus sit temporis, ut fui apud eum decem dies. Aut quando nomen uerbale pro ipso uerbo usurpatur, quod ab antiquis frequenter fieri solebat, modò uerò in obliuionem desuetudinemq; uenit similis cōstructio. Plautus in Amphitr. Quid tibi hanc rē curatio est? id est, quid curas: Idē in Aulularia, Quid tibi nos mendice homo tactio est? id est, cur nos tangis?

Cum uocatiuo construi non potest, neque enim dices, Petre esto bone, sed bonus. Excipitur nomen macte, quod in uocatiuis tantùm utriusque numeri reperitur, cum uerbum substantiuum bene iungitur, ut puer macte uirtute esto, item pueri macti uirtute estote.

Construitur postremò cū ablatiuo ex ui laudis, uel uituperationis, ut uir est aureo capite, & hic per ablatiuum sermo ferè perpetuus est Oratorum,

quem

quem tamen per genitiuum Grammatico more sæpe prolatum leges, ut uir est duri capitis. Interdum adiectiuum, cum aliquo quod præcedit, intransitiuè construitur, & appellatiuum ipsum in ablatiuo ponitur: quæ ratio Historicis frequens est. ut uir durus capite. Nonnunquam appellatiuum in accusatiuo ponitur, Poetico duntaxat more, ut durus caput.

Præter casus præcedentes, quos habet uerbum substantiuum sine aliqua præpositione, potest etiam habere uarios casus, si his atque illis præpositionibus adiungatur. Sunt autem quæ in frequentiori usu sunt apud authores, quæ sequuntur. De, ut de grege illo est. E, ut non est è Republica. Ex, ut ex usu tuo erit. In, ut quantum in me erit. Infra, ut quem ego infra omnes infimos homines esse puto. Penes, ut iam penes me est. Pro, ut unus est pro centum millibus. Sub, ut sub meo imperio est: & sic de alijs.

Cum hoc nomine opus, omnibus ferè casibus iungi potest.

Veteres illi, de quorũ grege fuit Diomedes, *sic cõfusè præceperunt, uerbum substantium cum nomine opus, omnibus casibus iungi posse præter uocatiuum. Tenebãt itaque nobis sic loqui licere, Opus est salus, salutis, saluti, salutẽ, salute. Verùm ut nos tantam confusionem illustremus, de nomine opus distinguamus necesse est. Nam aut est substantiuum, aut adiectiuũ: tunc est adiectiuum, cùm ponitur in eodem casu cum substantiuo, ut dux nobis opus est: tunc uerò substantiuum est, cùm ponitur in diuerso*

casu à substantiuo, ut opus est artis. Si substantiuum sit, capitur pro inopia siue indigentia, & iungitur tribus tantùm casibus, genitiuo, ablatiuo, & accusatiuo. De genitiuo, Cicero lib. 10. Epistol 1. *Nobis & magni laboris, & multæ impensæ opus fuit.* De ablatiuo, Idem lib. 7. Epist. *Opus est hic limatulo & polito tuo iudicio. Vbi aliqui, de limatulo, legunt, sed falsò & mendosè satis.* De accusatiuo, Plautus in Truculento, *puero opus est cibum. Hęc tamen accusatiui Syntaxis rara est, & Poetica. Si adiectiuũ sit, capitur pro necessarius, & in duobus tantùm casibus reperitur, in nominatiuo in modis finitis, in accusatiuo in modo infinito.* De nominatiuo, Cicero. 2. Epistola. *Dux & author nobis opus est.* De accusatiuo, Idem *tertia actione in Verrem, Multa sibi opus esse, multa canibus suis. Tunc igitur opus, nõ minatiuo & accusatiuo tantùm iungi solet.* Prætereà *opus iungitur infinitiuo, ut opus est dicere, non dicendi.* Item participio pro *infinitiuo posito, ut opus est maturato, id est, maturare, opus est facto, id est, facere.*

N*otabis prætereà, opus cum uerbo habeo iungi eisdem casibus, quibus iungebatur cum uerbo substantiuo, ut opus habeo cibi, cibum, cibo.* Quale est illud Columellæ lib. 9. capite primo, *Nam ut graminibus, ita frugibus roburneis opus habent.* Itẽ illud Euangelicum, *Dicite quia dominus his opus habet.* Cæterùm *licèt uideam quosdam nõ infimæ notæ authores per uerbum habeo loqui, uos tamen per uerbum sustantiuum loquemini, quia similem locutionem*

nem à grauioribus multò autoribus usurpatam ui-deo.

Nascũtur prætereà ex hoc uerbo undecim alia, ea sunt, adsum, absum, insum, intersum, obsum, desum, prosum, præsum, possum, subsum, supersum. & duo alia Plautina, exsum, persum. Quæ omnia cum datiuo construũtur, & aliquando etiã cum ablatiuo ut in secunda neutrorũ notauimus: præter Possum, quod accusatiuum regit, ut non omnia possumus omnes. Notabis postremò tria tantùm composita ex his generare participia præsentis, absum, absens: præsum, præsens: possum, potens. Hæc satis de uerbo substantiuo.

De quibusdam verborum considerationibus.

Hoc loco *Antonius agit de quibusdam uerborum considerationibus, quę à* Grammaticis, *Præterea, barbarè appellantur, quòd ab eo aduerbio initium habeant, nos uerò illis diuersum nomẽ imposuimus, quia hic quorundam uerborũ naturæ examinantur.*

Sunt prætereà quædam alia verba.

Hæc *est prima consideratio, cuius sensus est, Vltra uerbum substantiuum, sum, quod propriã & ueram substantiam significat, ut ex eius definitione satis cõstat, esse uidelicet nõnulla uerba, quæ quasi substantiua à* Grãmaticorum *uulgo nuncupãtur.* Non *quia tam uerè & propriè substantiam significent, quàm substantiuum uerbum, sed quia simillimam cum eo constructionem habeant, desiderant enim post se casum similem præcedenti, ut existit inutilis, extat incorruptus, manet immortalis, uiuit felix*

Quibus accedunt & passiua illa, agnominor, cognominor, inscribor: ut agnominor bonus, cognominor iustus, inscribor fortis. Obiter notabis ex sententia Laurentij lib. Elegant cap. 53. Existere & Extare licet unum atque idem præteritum sortiantur, differre tamen inter se. Nam existere prodire significat, & exurgere. unde montes & colles dicuntur existere, id est, apparere. De rebus quoq; mutis existere dicitur. Cicero in Lælio, Existit hoc loco quædam quæstio subdifficilis. Extare uero significat superesse, ut extant paucissimi Varronis libri, plurimi non extant. Item existit quod uidetur cum motu imminere. Cicero de claris Oratoribus, Tum etiam magistri dicendi multi subitò extiterunt. Extat uerò quod est sine motu, unde extare dicuntur ædificia ab humo.

Sunt & alia, quæ cùm sint intransitiua.

He*c est secūda consideratio, cuius intellectus est: Multa esse uerba neutra intransitiua, hoc est quorum actio non transit in personam patientem, quæ reciprocantur, id est, similes & à fronte & à tergo casus desiderant, in morem uerbi substantiui. In hoc autem gradu primùm numerantur uerba neutra motum præse ferentia, ut incedo tristis, ambulo lętus, euado doctus, pergo mœstus, occurris hilaris, eo exul, uenio bene fortunatus. Deinde uerba quietem importantia, ut sto rectus, dormio supinus, iaceo ebrius, taceo ægrotus, studeo pronus, sedeo tristis. His accedunt & uerba passiua, quæ descendunt à uerbis actiuis regentibus duos accusatiuos pro eo*-

dem

dem acceptos, quæ reciprocari etiam solent, ut habeor doctus, uocor Alfonsus, prædicor humanus. Itẽ uerba deponentia, ut nullus egressus sum ex utero matris meæ. Quibus iunge & illa uerba, disco, audio, facio, ut disco sedulus, audiui hoc puer de patre, feci imprudens. Non nego tamen posteriorẽ nominatiuum à fronte regi posse, & sic non dicerentur reciproca. Superest unicum illud uerbum, orationes cum uerbis reciprocis fieri non posse per gerundia, sed per subiunctiuum, ut, ueni Complutum ut euadam doctus non gratia euadendi doctus. Per participia tamen nihil est quod impediat fieri posse, ut sum incedens tristis, ille est ambulans lætus.

Prætereaverba illa quæ dicuntur Neutra transitiua.

Hec est tertia consideratio, in qua Antonius ueteres Grammaticos, sed præcipuè Priscianum notat, qui asseuerabat, esse quędam uerba neutra trãsitiua, qualia sunt, aro, semino, bibo, comedo, cœno, manduco, & reliqua ad terræ arationem, uel gustatum pertinentia: quæ in uoce passiua tertias personas tantum habent, cùm repugnet naturæ, & ueritati, in primis & secundis personis pronuntiari. Veræ enim sunt huiusmodi locutiones, terra aratur, terra seminatur, uinum bibitur, cibus comeditur: falsæ autem illæ, ego aror, ego seminor, tu biberis, tu comederis. Appellat autẽ Priscianus huiusmodi uerba neutra transitiua: Neutra, quia in uoce passiua primis & secundis personis carent: Transitiua,

quia eorum actio trāsit in accusatiuum, quem à tergo regunt. Affirmat tamen idem author, hęc eadem uerba posse primas personas habere per Prosopopœiam, hoc est personæ fictionem, ut si terra diceret, ego aror: uinum diceret, ego bibor. Posse etiam habere secundas personas per Apostrophen, hoc est per conuersionem sermonis ad rem inanimatam: ut si quis cum terra & uino loquatur, dicere posit, Terra araris, uinum biberis. Hæc est Prisciani sententia.

Antonius tamen Nebrissensis huiusmodi argutias irridet, asseritq́; hæc uerba non neutra transitiua, ut Priscianus affirmabat, sed actiua potiùs transitiua esse appellanda, cùm & accusatiuum regant, & omnes numeros, & personas in uoce pasiua sortiantur. Præcipit itaque nobis in hunc modum loqui licere, Ego aror, ego seminor, tu biberis, tu mãducaris. Nam & si huiusmodi orationes falsæ sunt, ad Grammaticum tamen non spectare ueritatis, aut falsitatis orationis considerationem, sed id munus Dialectici esse proprium. Aut saltem negatione adhibita, ego non aror, non seminor, tu non biberis, non manducaris. Hac igitur in parte Antonij sententia tenenda est, Prisciani uerò repudiãda. Quid enim Grammatici interesse debeat non uideo, si sermo eius repugnet naturæ, modò omnes leges & Grammaticas præceptiones seruet.

Præterea verba, quæ dicuntur ad solam naturam pertinere.

Hæc est quarta consideratio, in qua idem Priscianus cum eiusdem sententiæ consortibus reprehenditur, qui affirmabat, esse quædam uerba naturæ, qualia sunt, pluit, ningit, grandinat, serenat, fulgurat, tonat, rorat, coruscat, lucescit, uesperascit & similia: quæ in tertijs personis numeri singularis tātùm reperiuntur, quia sub illis duo tantùm supposita intelliguntur, Deus scilicet, aut Natura. Asserit tamen idem, hæc eadem uerba habere posse omnes personas utriusque numeri, aut per Prosopopœiā, hoc est personæ fictionem, ut si natura diceret, ego pluo: aut nubes, pluimus. Aut per Apostrophen, id est, conuersionem sermonis ad rem inanimem, ut si nubibus diceremus, uos pluitis.

Antonius tamen probat, hæc eadem uerba reperiri posse, in primis & secundis personis in hunc modū, Ego pluo, ego grandino, tu serenas, tu coruscas, Aut negatiuè, ego nō pluo, tu nō serenas: cum Gramaticus non debeat ueritatē, aut falsitatē orationis spectare, sed partiū orationis cōgruitatē, ac debitā earum structuram. Per translationē nemini dubiū, quin liceat primis & secundis personis horum uerborum uti, ut quoties dico in Theatro, fulguro, ac tono: quoties in foro causas agis, fulguras ac tonas. Quod de Pericle Atheniensium oratore ueterum scriptis proditum est, qui quoties suggestum dicturus ascendebat, tonare, ac fulgurare uidebatur. Illud in fine non pigebit addere, huiusmodi uerba à Grammaticis appellari exceptæ actionis, quòd eorum actio soli Deo

aut naturæ conueniat.

Præterea nullum esse verbum actiuum, quod non posit esse absolutum.

Hæc est quinta consideratio, cuius sensus: Omne uerbum actiuum fieri absolutum, si post se cum nullo casu construatur, ut ego amo. Nec de actiuis tantùm intelligi debet consideratio, sed de omnibus uerborum generibus, quæ sua syntaxi priuantur, ut ego amor, tu seruis, ego loquor, tu criminaris. Hic tamen repetamus necesse est, quod in quinta neutrorum de duplici uerbo absoluto notauimus: est enim aut absolutum natura, aut casu. Absolutum natura dicitur, quod suapte natura nullum regit casum, ut eo. Absolutum casu, quod casu quem sua natura regebat priuatur, ut amo. Quinta neutrorum de uerbo ab soluto natura loquebatur, præsens consideratio de absoluto casu.

Præterea verba neutra posse construi cũ accusatiuo.

Hæc est sexta consideratio, cuius intellectio talis est: Nonnulla esse uerba neutra (neque enim de omnibus traditur præceptio) quæ cum accusatiuo construi poßunt significante rem uerbi, ut uiuo uitam, pecco peccatum, eo iter, seruio seruitutem. Verùm hæc actiua potius quàm neutra dicenda sunt, cùm ea per paßiuam conuertere liceat, uita uiuitur à me, peccatum peccatur, iter à me itur, Ouid. 12. Metamor. Vixi bis centum, iam tertia uiuitur ætas. Item Cicero 1. Offi. 10. Quo in genere etiam multa peccantur in Republica. Sed quæres, quis dicatur

accusa

accusatiuus rē uerbi significans? Id ego facilè expediam, si prius intellexeris eos Grāmaticos deceptos fuisse, qui arbitrati sunt, cum accusatiuum dici rem uerbi significare, qui esset nomen uerbale a uerbo ipso deductum: nā in his, nato aquas, nauigo æquor, accusatiuus à uerbo non promanat. Erit igitur accusatiuus rem uerbi significans ille, qui significat id, quo uerbi actus exercetur: ut in hoc exemplo, uiuo uitam, accusatiuus significat rem uerbi, quia actus uiuendi exercetur uita, nisi enim uita nobis esset, uiuere non possemus.

Præterea nullum esse verbum, quod non cum accusatiuo vel ablatiuo.

Hæc est septima consideratio, cuius intellectus ille est. nullum uidelicet esse uerbum, cuiuscunq; sit generis, quod nō cum accusatiuo uel ablatiuo significante tempus sine ullo discrimine construi posset: ut studuit Grammaticæ tres annos uel annis, dedit operā Dialecticæ quatuor annos uel annis. Sed circa accusatiuum & ablatiuum temporis, fuit opinio Nonij Marcelli, Grāmatici alioqui nobilissimi, qui tēpus perpetuum & continuatum in accusatiuo, intermissum uerò in ablatiuo semper collocari docuit. Qui (ut salua eius pace loquar) in re clara & aperta hallucinatus est. Nam & tempus interruptum per accusatiuum, & continuatum per ablatiuum sæpissimè significarunt authores. Cicero in prologo primi Officiorum. Quanquam te Marce fili annum iam audientem Cratippum idq; Athenis, abundare oportet præceptis institutisq; Philosophiæ,

 Hic

Hic per accusatiuum, tempus interpositum significatur: non enim Ciceronis filius tam continenti, & perpetua opera totum illum annum Cratippum audiuit, ut nũquam interquieuerit, respiraueritq́;. Idẽ lib. 3. Officio. Scriptum à Posydonio est, triginta annis uixisse Panætium, postquam eos libros edidißet. Hic tempus perẽne per ablatiuum notatur, semper enim uixit Panætius, quandiu in uita fuit.

Accipe igitur regulam, quæ & uerior, & certior est, ut intelligas quãdo tempus accusatiuo, quãdo ablatiuo adsignificari debeat. Cùm de parte, non de toto tempore loquimur, utemur ablatiuo: ut si dicas: ego hoc anno ad te ueniam, id est, aliquo tempore huius anni: pro quo non rectè dixeris, ego hunc annum ad te ueniam. Cùm uerò de toto tẽpore fuerit sermo, commodiùs utemur accusatiuo, ut uiginti annos hanc domum habitaui. Notabis præterea, si fiat interrogatio per quandiu, uel quandudum, responsionem fieri debere per accusatiuum cum præpositione, uel sine ea, raròper ablatiuum. Vt quandiu studuisti Compluti? respondebis sex annos, uel annis, uel per sex annos, quãdudũ obijt pater tuus? ab hinc tres menses uel mensibus. Si uerò interrogatio fiat per quando, aut quanto tempore? respondebimus per ablatiuum, aut per accusatiuum cum Intra, ut quando uenies? hora tertia, aut intra horam tertiam: quanto tempore hæc scripsisti? tribus horis aut intra tres horas. Quibus responsionibus caue ne pro Intra, utaris Infra. nã Intra refertur ad spatium temporis, ut intra uiginti dies: Infra uerò ad digni-

tatem, ut infra dignitatem meam est: aut cum Per, *ut quanto tempore Grammaticam es professus? per uiginti annos.*

Præterea complura esse verba neutra absoluta, quæ figurate.

Hæc est octaua consideratio, cuius sensus est: Cõplura esse uerba neutra absoluta, quæ uirtute transumptæ significationis accusatiuo iunguntur, ut depereo uirginem, id est deperditè amo uirginem. Corydon ardebat Alexim, id est ardẽter amabat. Nec per figuram, hic intelligas Metaphoram, aut aliud genus tropi: sed Transumptionem, quæ facit, ut uerbum neutrum pro actiuo positum regere possit accusatiuum. Repete *ad præsentem locum quinque illos modos, quos in quinta neutrorũ descripsimus, quibus cõtingit uerba neutra absoluta regere posse accusatiuũ.* Huc *etiam spectant & illa, quæ ex idiomate sermonis* Latini *affirmat* Antonius *cum accusatiuo construi posse, uirtute enim nouæ significationis, quam usurpant, accusatiuum regunt.* Vt *sapit piscem, id est, sapore refert piscem: olet unguentum, id est odore repræsentat unguentũ, nescio quis me manet exitus: id est, expectat.* Simile *iudiciũ erit de reliquis.*

Omnia etiam verba Neutra posse iũgi datiuo.

Hæc est nona consideratio & ultima, quæ nobis nihil aliud præcipit, quàm uerba omnia non tantùm neutra, sed cuiuscunque alterius generis posse recipere datiuum damni, aut commodi post completam suam naturam, quia casus generalis est:

ut

ut dormio mihi, amas tibi, loqueris tibi, ueneror Deum mihi & sic de similibus.

De verbis Deponentibus.

V*erbi actiui passiui, & neutrius natura ad unguem satis explicata, quarto loco differit Antonius de deponentibus. Quæ ideo deponentia dicta sunt, quia cùm olim fuerint communia & actiuā & passiuam significationem retinuerint, seruata tantùm actiua passiuam deposuerunt. Nec uera est eorum sententia, qui dicunt deponentia per Antiphrasim fuisse dicta quòd scilicet, R, literam nunquā deponant, ut loquor, nascor, sequor: non enim dicimus, loquo, nasco, sequo. Nā multa passim uidemus uerba deponentia, quæ aliquando in actiua, aliquando in neutra migrant, R, litera prorsus deposita, ut partior, assentior, delector, fœneror, mutuor, palpor, medicor, populor: pro quibus reperiuntur illa, partio, assentio, delecto, fœnero mutuo, palpo, medico, populo. Exordiamur iam uerborum deponentium tractationem ab eorum definitione, eaq; deinde in suas species partiamur.*

V*t intelligas de quo uerbo deponenti traditur definitio, notes oportet, duplex esse uerbum deponēs: uoce tantùm, uoce & significatione simul. Voce tantùm est illud, quod habet uocē passiuam, & significationem passiuam, ut nascor: uerùm non est passiuum, quia non habet uocem actiuam in O. Voce & significatione illud est, quod habet uocem passiuam & significationem actiuam, ut loquor, obliuiscor.* Definitio propriè *traditur de uerbo deponenti, uo*

ce & significatione simul, quæ talis est.

Deponens uerbum est illud, quod in Or desinit, & non habet actiuum in O, retinetq; tantùm actiui significationem. Singula diffinitionis membra discutiamus. Quod in Or desinit: ad differentiam actiui & neutrius quæ desinunt in O. Et non habet actiuum in O, ut differat à passiuis eam uocem habentibus. Et retinet tantùm actiui significationem: ut seiungatur à communibus, quæ sub uoce passiua actiuam & passiuam significationem habent, ut criminor, quod accusare & accusari significat. Notabis tamen hac in parte, reperiri apud probos illos & perfectos authores uerba deponētia sæpissimè in significatione passiua Cicero in Paradoxis, An quisquā in potiundis uoluptatibus, gloria se & prædicatione effert? Idē pro Marco Cælio. Magnū crimē in legatis insidiandis. Item Hora. 1. Epist. 11. Epistola, Oblitusq; meorum, obliuiscendus & illis.

In quot species distribuatur.

Verbum deponens in sex classes distribuitur, nā totidem modis à tergo constructum reperitur. Quę cum genitiuo sociata sunt, primā classem cōstituūt. Quæ cum datiuo secundam. Quæ cum accusatiuo, tertiā. Quę cum ablatiuo sine prępositione, uel septimo casu, Quartam. Quæ cum nullo casu nisi prępositione interiecta, quintam. Quæ cum ablatiuo & pręposititione, A, uel Ab, sextam. De quibus seruato cuiusq; ordine disputemus.

De prima classe Deponentium.

Verba huius ordinis, exigunt à tergo genitiuum

patientis, ut misereor pauperis. Qui genitiuus non possesiuus, sed pasiuus est, & proprius huius speciei casus, ut qui eam constituit.

De multiplicibus verbis primæ clasis.

Triplicia sunt uerba huius formæ. MISERENDI, *ut misereor, miseror.* REMINISCENDI, *ut reminiscor, recordor.* OBLIVISCENDI, *ut obliuiscor.*

Miserendi.

Misereor & miseror, non in significatione, sed in constructione differunt. Nam misereor aliquãdo regit genitiuum. Cicero ad Atticum, Qui misereri mei debent, non desinunt inuidere. Aliquando datiuum, sed non tam frequenter, ideoq; non imitaberis. Cicero *lib.2. Tusculana.* Patris *pestibus miserere.* Seneca *lib.2.* Controuer*siar.* M*isereor tibi puella, qua constructione* E*cclesiastici etiam utuntur, miserere nobis.* A*t uerò miseror. aris. cum accusatiuo tã tùm construitur, & in tertia classe reponitur.* Cicero pro Muræna, *Vt non queam satis, neque communem omnium nostrûm conditionem, neque huius euentum fortunamq; miserari.*

Recordandi.

Verba recordandi præter uulgatam genitiui syntaxim, construuntur etiam cum accusatiuo eleganter satis, nec ferè uideo Ciceronem *aliter fuisse locutum.* Cicero *lib.4.* F*amiliarium. Ea potiùs reminiscere, quæ digna tua persona sunt.* Idem de Oratore, *Cùm omnes gradùs ætatis recordor tuæ.* Ali*quando cum ablatiuo, &* DE, *licèt non ita frequenter.* Idem *pro Sylla,* N*am profectò, si recordari uo*

lue-

fueritis de nouis hominibus. Ponuntur aliquãdo absolute cum infinitiuo, ut non sum recordatus plura dicere.

Obliuiscendi.

Obliuiscor quemadmodum & recordor, præter communem genitiui constructionem, habet frequenter accusatiuum, cum multa Romani sermonis uenustate. Cice. pro Cælio, Obliuiscor iniuriam, depono memoriam doloris mei. Raro ablatiuum, cũ De, ut de patria obliuisci turpe est. Ponitur aliquando absolute cum solo infinitiuo, ut oblitus sum dicere nescio quid tibi. A uerbis huius speciei nascũtur terna participia præsentis, præteriti, & futuri in rus, ut recordans, recordatus, recordaturus. Aliquãdo etiam habent participium futuri in, dus, passiuæ significationis. Plautus in Mil. muliebres mores discendi, obliuiscendiq; tui.

De secunda deponentium.

Verba huius ordinis, post se regunt datiuum acquisitiuum, qui adeo proprius est huius speciei, ut eam constituat, ut suffragare mihi.

De verbis secundæ classis.

Variæ sunt huius gradus uerba. GRATVLANDI, ut gratulor, grator. ASSENTIENDI, ut assentior. SVFFRAGANDI siue auxiliandi, ut suffragor, auxilior, opitulor, patrocinor. ADVLANDI, ut adulor, assentor, palpor, blandior. IRASCENDI siue insidiandi, ut irascor, indignor, insidior.

Gratulandi.

Gratulari est uerbo testari te gaudere de fortuna

ac felicitate alterius, apud eum ipsum qui affectus est felicitate. Differt à gaudere, nã gaudemus nostra felicitate, gratulamur alienæ. Variam habet cõstructionem. Aliquando iungitur datiuo, ut gratulor tibi fortunis aucto. Interdum cum datiuo habet accusatiuũ sine præpositione. Cicero actione. 2. in Verrem, Appellat hominẽ, & ei uoce maxima uictoriã gratulatur. Interdum accusatiuus habet adiunctam præpositionem Ob, uel Propter, ut gratulari alicui ob uel propter uictoriam partam. Postremò post datiuum habet ablatiuum cum præpositione De. Cicero. 1. Familiarium Quòd mihi de filia gratularis, agnosco humanitatem tuam. Grator eiusdem significationis est, Verum magis est Poeticum, quàm Oratorium: construitur cum datiuo. Vergil. 4. AEneid. Inueni germana uiam, gratare sorori. Aliquãdo cũ accusatiuo. Idem. 5. AEn. i. Gratatur reduces.

Assentiendi.

Assentior primùm construitur cũ datiuo. Cice. actione. 5. in Verrem, Vt ego assentiar orationi, defensionem tamen non probabo. Deinde cõstruitur cum accusatiuo. Idem ad Atticum, Timet multa, assentitur omnia. Tertiò cum accusatiuo & datiuo. Idẽ. 3. de Oratore, Nanq; ego illud assentior Theophrasto. Postremò cum datiuo, & ablatiuo cũ De Idem. 12. Familiarium. Mihi enim est assensus Senatus de obtinendis prouincijs. Ex subiectis exemplis colliges, Ciceronem frequentius uti hoc uerbo in uoce paßiua. Verum & uoce actiua usus est aliquando, Officiorum. 1. Cauendum est, ne his rebus temere assen

rè aßentiamus. Qua uoce & authores, Qui post ipsum secuti sunt, uti non dedignantur.

Verbis huius speciei accedunt & hæc, ancillor, famulor, conuitior, minor, medeor, dominor, & aliqua cum bene & malè composita. ut bene siue malè precari, bene siue malè ominari. De horū quibusdam aliquid notemus neceße est. Minor aliquando cum solo datiuo construitur, ut minari alicui: aliquādo cum datiuo habet accusatiuū, ut mortem siue exitium alicui minari. Medeor differt à medicor, nam medeor cum datiuo construitur, ut mederi morbo: medicor uerò cum accusatiuo frequentius constructum reperies. Verg. 7. Æneid. Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum Eualuit. Idem tamen adiunxit datiuo. 2. Georgi. Senibus medicantur anhelis. Voce actiua huius uerbi utuntur aliquando Poetæ. Idem. 1. Georgi. Semina uidi equidē multos medicare serentes. Dominor cum genitiuo rarò construitur & est primæ speciei, ut Deus omnium dominatur, cum datiuo frequentiùs, & est huius classis. Cicero pro Rabirio Posthumo, Dominatus est enim Alexandriæ. Item cum accusatiuo & In. Cicero de Senectute, Si usque ad extremum spiritum dominatur in suos. Capitur aliquādo paßiuè. Cicero. 1. Officiorum. O domus antiqua, heu quàm dispari domino dominaris. Illud postremò notabis, à uerbis huius speciei prodire terna participia, præsentis, præteriti & futuri, in rus: ut suffragans, suffragatus, suffragaturus.

De tertia Deponentium.

Verba tertiæ speciei, à tergo regunt accusatiuũ patientem ex ui transitionis, qui tertiam classem constituit, cum eius sit proprius, ut execror te.

De multiplicibus verbis tertiæ clasis.

Verba huius claßis uaria sunt. CONSOLANDI, *ut solor,* PRECANDI, *ut precor, deprecor,* SEQVENDI, *ut sequor . prosequor,* MERENDI. *ut mercor, demereor,* CONFITENDI, *ut cõfiteor, fateor,* Ac deniq; IMITANDI, *& execrandi, ut imitor, æmulor, execror, abominor.*

Consolandi.

Solor & consolor ex sententia Laurentij *lib. 4.* Elegantia. *cap. 77. differunt, nam solamur rebus, consolamur uerbis. Ab his promanant tria uerbalia, solatium, consolatio & solamẽ. Duo priora Oratoria sunt posterius uerò solamen magis poeticũ.* Verg. 3. Ænei. *Solamenq; mali de collo fistula pẽdet.*

Precandi.

Precor aliquando cum simplici accusatiuo construitur, ut precari ueniam. Aliquãdo post accusatiuum datiuum habet, ut mala precari alicui. Inter*dum post accusatiuum habet ablatiuum cum præpositione, A, uel Ab.* Valerius Maximus *lib. 1. Stultũ est, à quibus bona precamur, ab ijs porrigẽtibus nolle sumere. Postremò habet duos accusatiuos, quos reliqua orandi uerba habere solent, ut precor Deos ueniam. Differt à deprecor, nã deprecari est precibus aliquod malum à nobis auertere, ut deprecari pœnam, culpam, crimen.*

Se-

Sequendi.

Prosequor, quod à sequor compositum est, post accusatiuum desiderat ablatiuum sine præpositione à quo mutuò sumit significationem, quemadmodum & afficio, ut prosequor te honore, id est honoro te, amore, id est, amo, odio, id est, odi. Differt à persequor, nam persequor aliquando in malam partem capitur, & significat ad finẽ usque insectari, ut persequor hostes, aliquando in bonam, & significat in re semel cœpta perseuerare, ut persequor literarũ studia.

Merendi.

Verbum mereor, si componatur cum aduerbijs bene & male, construitur cum ablatiuo media prępositione De. Vnde bene mereri de aliquo, aut male mereri, est aliquid beneficij, siue maleficij in eum conferre. Itaque in huiusmodi constructione, ablatiuus persona patiens est, non agens. Hoc uerbum in uoce actiua sæpißimè reperitur. Cicero in Familiaribus. Ac uelim, ut de Republica meremus, sic felices simus. A uerbis huius speciei præter terna illa, participia, nascitur & participium futuri in, dus passiuæ significationis. Cicero in Familiaribus, Et si egomet qui te consolari cupio, consoladus ipse sum.

De quarta Deponentium.

Verba quartæ speciei, uolunt à tergo ablatiuum sine præpositione uel effectiuum, qui hanc speciem constituit: ut utere meis rebus, perinde ac tuis.

De verbis quartæ classis.

Verba huius classis pauca sunt, in primis LAETITIAE, *cum contrarijs, ut lætor, delector, tristor,* VTENDI, *ut utor, fungor, fruor,* VESCENDI, *ut uescor.*

Lætandi.

Hoc uerbum lętor, uariam habet cōstructionem Aliquando *construitur cum ablatiuo, sine prępositione.* Cicero pro *Aulo* Cluentio, Mater *squalore filij, & sordibus lętatur,* Aliquando *habet ablatiuū medijs præpositionibus,* De, *In,* Ex. *Idem pro* Marco Marcello. N*am lætari omnes de cōmuni salute sentio.* Idem ad Atticum. *lib.* 4. Epi*stola* Leonidæ *quid habet, quæso, in quo magnopere lætemur?* Diuus Cyprianus *ad* Rogatianum, Quantum *dolemus ex illis quos potestas inimica prostrauit, tantum lætamur ex uobis, quos* Diabolus *superare non potuit* V*ltimò habet aliquando accusatiuum, media præpositione* Ob, *uel* Propter. Cicero pro Milone, Q*uid ingratius, quàm lugere eum solum, propter quē cæteri lętentur?* V*erbum autem delector, & actiuum primæ speciei reperitur: ut tuæ literę me magnopere delectarunt.*

Vtendi.

V*tor, præter uulgarem constructionem ablatiui, ex natura antiqua construitur cum accusatiuo.* Terētius *in prologo* Andrię, N*am in prologis scribundis operam abutitur. Si uerò ablatiuus, quem regit utor, sit personę, tunc utor significat conuersari, ut utor* Petro *familiarissimè. Differunt autem*

utor, fruor, fungor, potior : quæ omnia sunt huius speciei. Vtimur rebus ad aliquid aliud per eas obtinendum: fruimur rebus, propter seipsas : fungimur munere, quod nobis demandatum est : potimur re, quam per laborem obtinuimus. Illud tamen notes necesse est, hoc uerbum potiri triplicem habere constructionem. Aliquando adhæret ablatiuo sine præpositione. Verg. 1. AEneid. Egreßi optata potiũtur Troes arena. Aliquando accusatiuo ex antiqua syntaxi. Terentius in Adelphis, Ille sine labore patria potitur commoda. Si uerò iũgatur huic nomini, res rei, semper construitur cum genitiuo, & reducitur ad primam deponentium: ut Lacedæmonij rerũ diu potiti sunt, non rebus. His accedunt hæc duo uerba tristor, & cõtristor, quæ huius formæ sunt, & passionem significant, ut tristor tua aduersa ualetudine. Verùm si ablatiuus sit rei animatæ, fieri oratio nõ potest per hæc uerba, sed per uerbum reddo, uel afficio. Non enim dicimus, tristor Petro, sed Petrus reddit me tristem, uel afficit me tristitia. Vltimò notabis, aliquando uerba huius classis præter terna illa participia, habere etiam participium futuri in dus, paßiuæ significationis: quia olim fuerũt tertiæ speciei. Cicero lib. 1. de Finibus, Non solùm paranda nobis, sed etiã fruenda est sapientia. Idem. 2. Officio. Iustitiæ fruendę causa uidẽtur olim bene morati Reges constituti.

De quinta Deponentium.

Verba quintæ classis à tergo cum nullo casu construuntur, nisi cum accusatiuo uel ablatiuo media

præpositione: ut Cicero iocatus est, in Antonium, itē rusticatur in otio. Casus autem hic media præpositione est casus tanquam proprius huius speciei. cuius uerba dicuntur absoluta, quia nullum casum regunt, nisi interiecta præpositione.

De verbis quintæ classis.

N*on admodùm multa sunt huius speciei uerba.* IOCANDI, *ut iocor, cachinnor. Verba item* DISCIPLINARVM, *ut philosophor, rusticor grammaticor. In quibus nihil est annotatione dignū, nisi quòd iocamur uerbis: ludimus uerò factis. Item notabis à uerbis huius formæ prodire terna tantùm participia præsentis, præteriti, & futuri in rus ut iocas, iocatus, iocaturus,*

De sexta Deponentium.

V*erba sextæ classis passionem significāt, ac propterea dicuntur passiua: à quibus nihilominus differunt, quia non habent actiuam uocem in O. Exigūt à fronte nominatiuum patientis a tergo uerò ablatiuum agentis. cum his præpositionibus.* A. AB, DE, E, EX, *ut ortus à parētibus honestissimis: quæ oratio per reliquas præpositiones poterit uariari. Demitur aliquando præpositio elegantiæ gratia, ut in his locutionibus, claro loco natus, obscuro loco natus, honestissimis ortus parētibus. Ablatiuus media præpositione, in uerbis huius speciei non est proprius, sed tanquam proprius.*

De verbis sextæ classis.

V*erba huius classis tria tantùm sunt orior, nascor, patior: de quibus pauca notemus necesse est.*

se est.

De Orior.

Orior aliquando tertiæ, aliquando quartæ coniugationis est, oreris uel oriris: infinitiuus uerò Oriri semper est quartæ. Ponitur in oratione aliquando absolutè, ut ortus est puer. Aliquando cum ablatiuo cum præpositione, uel sine ea, ut ortus clarissimis maioribus, uel à clarissimis maioribus. Si uerò uelis adijcere ad quam rem ortus sis, orationem in hunc modum uariabis, aut per datiuū, ortus sum militiæ, aut per accusatiuum media præpositione Ad, ad militiam: aut per gerundium accusatiui casus, ad militandum: aut per subiunctiuum cum Vt, ut militem. Ab hoc uerbo nascitur participium ortus, & nomen uerbale oriundus, quæ differunt: nam ortus significat differentiam loci in quo, ut ortus sum Cōpluti. oriundus uerò differētiam loci, à quo aliquis originem ducit, ut oriundus ex Africa. Verbo nascor eodem modo prorsus utimur, à quo natalis, & natales, ium, descendunt, cum differentia tamē: nam natalis refertur ad diem natalitium, natales uerò ad generis conditionem, ut clarissimis natalibus ortus. Patior aliquādo solo accusatiuo gaudet, ut grauem iniuriam passus sum. aliquādo cum accusatiuo ablatiuum desiderat, ut rustici iniuriam patiuntur à ciuibus. A uerbis huius speciei, manant terna illa participia.

De verbis Communibus.

Quinto loco differit Antonius de uerbis communi-

bus, quæ ideò cõmunia dicta sunt, quòd eiusdem sint muneris & constructionis cũ uerbis actiuis, & passiuis, nam & significant actionẽ, quemadmodũ uerba actiua, & passionem, quemadmodum passiua. Item in significatione actiua construuntur cum accusatiuo more uerborũ actiuorum, ut ueneror Deos: in significatione uerò passiua construuntur more uerborum passiuorum cum ablatiuo, ut Dij uenerãtur à me. In qua conuersione ex significatione actiua in passiuam manet perpetuò uox passiua, & accusatiuus uertitur in nominatiuum: & nominatiuus in datiuum uel in ablatiuum cum præpositione A, uel Ab, ut ego criminor te. & uerbum ex significatione actiua migrat in paßiuam, tu criminaris mihi uel à me, Tradamus igitur definitionem uerbi cõmunis quando unicum est tantùm genus uerborum communium.

Commune *uerbum est,* Quod *definit in,* Or, & *non habet actiuum in,* O, & *retinet actiui & passiui significationem.* Quod *definit in* Or, *ad differentiam actiuorum & neutrorum, quæ definũt in,* O. Et *non habet actiuum in,* O, *ad differentiam passiuorum, quæ similem uocem habent.* Et *retinet actiui & passiui significationem: ad differentiam deponentis, quoniam deponens actiuam tantùm habet significationem, commune uerò actiuam & passiuã.* Qua *de causa cauẽdum est, ne per uerba communia sine casu posteriori loquamur, ne in Amphibologiã & sermonis ambiguitatem incidamus.* Ab *his uerbis omnia formantur participia, ut criminans, criminatus*

tus, criminaturus, & criminandus. Verba cõmunia *pauca sunt, & quia in his nihil dignum est annotatione, ad uerba impersonalia properemus, ne in re facili tempus & operam perdamus.*

De verbis Impersonalibus actiuæ vocis.

Egit in superioribus Nebrißensis *de uerborum personalium constructione, nunc de impersonalibus disputat, quæ à persona nomen acceperunt. Atque ideò impersonalia per negationem dicta sunt, quasi non personalia, non quòd omnino personis careant, sed quòd in uoce siue actiua, siue passiua, nullã præter tertiam personam, & eam singularem habeant.* Hoc *duplex esse testatur* Nebrissensis, *alterum quidem actiuæ uocis, alterum uerò passiuæ, Actiuæ uocis est illud, quod est simile tertijs personijs uerbi actiuæ uocis, ut miseret, pudet. Passiuæ uocis, quod est simile tertijs personis uerbi personalis passiuæ uocis, ut curritur, statur. Neq; existimes dicta fuisse aut actiuæ uocis, quòd actionem significent, quã impropriè dicuntur significare, aut passiuæ uocis, quòd passionem significent, cùm in aperto sit, ea à quibuscunque uerbis descendant, actionem significare. Sed id pro certo habeas, actiuæ, aut passiuæ uocis appellata fuisse, propter similitudinem, quã habẽt cum uerbis personalibus, tam actiuæ, quàm passiuæ uocis. De uerbis impersonalibus passiuæ uocis posterior erit disputatio, nũc de impersonalibus uocis actiuæ disseramus. Ac primùm omnium explicare oportet, quidnam sit uerbum impersonale, qua ratione ab infinitiuo differat, postremò in quot spe*

cies distrahatur.

Antequam uerbi impersonalis tradatur definitio, quia frequens de numero & persona futura est metio, explicemus necesse est, quidnam sit numerus, quid item persona, quatenus ad Grammaticum uidētur spectare. Numerus est incrementum quantitatis ab uno ad plura procedens. Vnde colliges binariū iure numerum dici, cùm duabus constet unitatibus, unitatem uerò impropriè numeri nomen sibi uendicare, cùm ab alio non procedat, satis tamen sit numerandi esse principium. Persona uerò in præsenti disputatione, capitur pro uoce fixa & alicui certæ personæ constituta. Vnde fit, ut uox, amo, sit primæ personæ, amas, secundæ, amat tertiæ, & sic de alijs. Aut si mauis, capitur pro mutuo illo consensu & cōcordia nominatiui & uerbi in persona, ita ut eiusdē personæ sit uerbū, cuius est nominatiuus, qui ei suppositum reddit. Qui consensus ubicunque reperiatur in uerbo, personale erit, si uerò talis consensus non fuerit, uerbum efficietur impersonale. His iactis fundamentis, uerbum impersonale diffiniamus.

Duæ diffinitiones à Grammaticis tradi solent uerbi impersonalis, quæ licet uerbis uideātur discrepare, re tamen ipsa in idem recidunt. Prior est, Verbum impersonale est, quod caret numeris & personis, & eas figura tertiæ personæ repræsentat. Quod caret numeris & personis, hoc est, quod in suis temporibus non habet desinentias præfixas, & determinatas alicui certæ personæ, ut miseret, pudet. Quo potissimùm nomine differt a uerbis perso

nali-

nalibus, quæ uoces habent certis quibusdam personis constitutas. Est enim uox primæ personæ, ut diligo est item uox secundæ personæ, ut diligis, & sic de reliquis, qua determinatione prorsus carent uerba impersonalia. Et eas figura tertiæ personæ repræsentat. Hoc est, uerbu impersonale, licet careat numeris & personis, sub uoce tamen tertiæ personæ numeri singularis, ad omnes numeros & personas refertur: ut pudet, licet uox sit singularis tertiæ personæ sub ea tamen ad omnes personas utriusque numeri refertur, ut pudet me, pudet te, pudet nos, & uos. Qua de causa differt ab infinitiuo (ut paulò inferiùs explicabimus) nã infinitiuus sub uoce nullæ personæ præscripta ad omnes personas & numeros refertur.

Posterior definitio, Verbum impersonale est, quod recti suppositi conuenientia caret. Hoc est quod suppositum personæ certæ ante se non admittit, cum quo in numero & persona conuenire possit. Nam licet obliquos habeat à fronte, cum illis tamen in numero & persona conuenire non potest, nulla est enim concordantia uerbi cum obliquis, ac propterea nequeunt obliqui uerbo impersonali reddere suppositum. In hanc sententiam conspirauit omnium fermè Grammaticorum turba, cui ego libens adhæreo, ne uidear in re aliqua à communi doctorum hominum iudicio & opinione recedere. Neque habent quicquam ponderis aduersariorum rationes, quibus probare conantur, uerba impersonalia admittere ante se

te se suppositum. Prima ratio est de particulis illis, quid, aliquid, nihil, parùm, plurimùm, multùm, cum compositis si quid, nequid, quæ in his orationibus, nihil mea interest, plurimùm mea refert, uidētur reddere suppositum uerbo impersonali. Respondeo, eas particulas exleges eße, & in neutra terminatione quodammodo aduerbiascere, & siue uerbis addantur siue detrahantur, de eorum natura nihil immutare. Secunda ratio. Infinitiuus, qui pro nomine rē uerbi significante plerunque ponitur, uerbis impersonalibus potest reddere suppositum, tantum nanq; ualet, mea interest legere, quantum, lectio ad me pertinet: tua refert audire, quantum, auditio in rē tua est. Respondeo, in huiusmodi locutionibus infinitiuum determinari à uerbo impersonali à tergo, & minime posse eidem uerbo impersonali à fronte reddere suppositum. Quod idem dici posset de oratione subiunctiui (quam isti pro tertia afferunt ratione) quæ cùm à tergo determinetur, ut mea interest ut legam, non posset à uerbo impersonali regi à frōte: fieri enim non potest, ut eadē orationis pars & à tergo determinetur, & à fronte simul regatur. Illud igitur habeant omnes pro certo, uerbum impersonale, quatenus impersonale est, non posse habere suppositum, si uerò ex impersonali personale fiat, nullus dubitet habere posse suppositum, quemadmodum & uerba personalia. Cicero primo Officio. Quod decet, honestum est, & quod honestum est, decet. Idem eodem opere, Pulchritudo corporis mouet oculos, & delectat, ubi decet & delectat perso-

nalia sunt, ac propterea supposita habent.

Differentia infinitiui & verbi impersonalis.

Ex his colligitur triplex differentia uerbi impersonalis, & infinitiui, qui æquè numeris & personis caret. Prima est, Quòd uerbũ impersonale licet careat numeris & personis, sub uoce tertiæ personæ destinata, ad omnes numeros & personas refertur. Infinitiuus uerò sub uoce nulli personæ cõstituta, omnes personas & numeros repræsentat. Amare enim nullius est personæ, quod si adiunxeris accusatiuũ primæ personæ, efficies primæ personæ, ut me amare: si secundæ, efficies etiam secundæ personæ, ut te amare: idem iudicium esto de reliquis personis. Secunda, Quòd uerbum impersonale ad perfectam orationem constituendam non indiget præsidio alterius partis, ut mea refert audire, infinitiuus uerò perfectam orationem constituere non potest, nisi aliunde accedat præsidium aliquod, ut me amare, imperfecta oratio est, nisi adiunxeris, æquum uel honestum est. Tertia, Verbum impersonale per omnes modos & tempora spargitur, at uerò infinitiuus intra unum modum tantùm, & eum quidem ex quinque postremum atque imperfectum, continetur.

In quot species distrahatur.

Verbum impersonale actiuæ uocis, in quinque species diuiditur, quia quinque modis constructum deprehenditur. Quæ uerba exigunt post se genitiuum, cõstituunt primam, ut interest. Quæ datiuũ secundam, ut conuenit. Quæ accusatiuum, tertiam, ut decet. Quæ post accusatiuum genitiuum uel infi-

nitiuum, quintam, ut tædet, pœnitet. Quæ iūguntur infinitiuis impersonalium quintæ speciei, quartā faciunt: ut incipit me tædere, quas omnes suo ordine percurramus.

De prima classe Impersonalium vocis actiuæ.

Verba impersonalia Primæ classis à fronte nullum casum regūt, quod (ut semel præcipiam) est omnibus uerbis impersonalibus commune. A tergo uerò exigunt genitiuum, post quem desiderant infinitiuum uel orationē subiunctiui, ut interest præceptoris uera discipulis tradere præcepta, uel ut uera discipulis tradat præcepta, qui genitiuus neq; actionē, neque passionem, sed possessionem significabit. Nam cùm uerba huius formæ bonum aliquod utile significent, quod debeat ab aliquo possideri, necessariò genitiuus ille possessoris personam repræsentare debet, nam alioqui uerborum natura frustraretur. Vt in his orationibus, præceptoris interest legere, Senatoris refert administrare Rempublicam, genitiui illi præceptoris & Senatoris, possessiuè capiuntur, quasi dicas officium præceptoris est legere lectionem, & Senatoris munus administrare Rēpublicam. Vbi nullus est qui ambigat, genitiuos illos, præceptoris & Senatoris, possessiuè capi. Aliquando tamen loco genitiui habēt accusatiuum cum Ad, uel in. Cicero de natura Deorū. Magni interest ad decus & ad laudem ciuitatis ita fieri. Terentius in Hecyra Ita Dij Deæq; faxint, si in rem est Bacchidis. Aliquando ponuntur absolutè cum solo infinitiuo, uel oratione subiūctiui, Cicero ad Atticum, Ma

gnopere interest opprimi Dolabellam, uel ut opprimatur.

Notabis præterea (authore Laurentio lib. 3. Elegan. cap. 3.) uerba huius speciei post suam peculiarem constructionem, admittere quosdam genitiuos æstimationem significantes, quales sunt tanti, quanti, magni, parui, permagni, ut tanti mea interest quanti tua. magni mea refert, parui tua refert. Reliqua uerò nomina aduerbialiter his uerbis apponũtur, qualia sunt, multùm, plus, plurimum, parum, paulum, paululũ, pauxillũ, nihil, nunquid, aliquid magis, minus, maximè, minimè. Vt, multũ siue permultum interest perturbatione quis peccet, an cogitatò. Item plus interest Reipublicæ castellum capi, quàm agros tantum uastari.

Et sunt duo Interest, & Refert.

Verba huius speciei tria sunt, interest, refert. est. Huius tamen postremi mentionem Antonius nõ fecit, quia diuersam a reliquis duobus constructionẽ habet. Cæterum ut horum trium uerborum natura omnibus innotescat, de his libuit pauca dicere.

De interest.

Interest, aut est uerbum personale, aut impersonale. Si sit uerbum personale, diuersam habet tum compositionem tum significationem, tum etiam constructionem, quàm quando inter impersonalia numeratur. Nam componitur à præpositione, inter, & est: ac per omnes personas & numeros coniugatur & tunc ex uaria significatione uariam etiam sortitur constructionem. Significat aliquando

præ-

præsentem eße, & tunc construitur cum datiuo uel ablatiuo media præpositione In. Cicero de Senectute, Sæpe interfui querelis meorum æqualium. Idem pro Sexto Roscio, Roscius ne in conuiuio quidem ullo fere interfuit. Significat prætereà differre, & construitur cum accusatiuo media præpositione Inter, uel cum datiuo. Cicero. 1. Officio. Sed inter hominem & belluam hoc maximè interest. Terentius in Eunuch. Stulto intelligens quid interest? Prætereà significat in medio esse, siue interiacere, & construitur cum accusatiuo & Inter, Cicero in Catilinam, Dummodò inter me atque te murus intersit. Ponitur etiam absolutè. Liuius de secundo bello Punico. Id morari uictoriam rati, quod interesset amnis. Postremo refertur ad distantiam, & construitur cum eodem accusatiuo &, Inter. Cicero de Senectute, Cuius inter primum & sextum cōsulatum sex & quadraginta anni interfuerant. Si uerò sit uerbum impersonale, componitur à præpositione, In, & ablatiuo re. & est, quasi in re est, & significat utile esse, siue ad nostram utilitatem pertinere, & construitur tunc cum genitiuo, & est huius speciei, ut Regis interest Rempublicam in pace administrare.

De Refert.

Refert, si sit uerbum personale, componitur à Re præpositione, & fero, & significat narrare, repræsentare, dirigere, consultare. In quibus significationibus explicandis morari non est neceße, sunt enim apud authores uulgatißimæ. Si sit impersonale,

le, componitur ab ablatiuo, re, & fert, quasi pro rē fert, id est utilitate & commodo, & significat utile esse, siue ad rem spectare: & construitur cum genitiuo, ut Senatoris refert, rerum communium curam gerere.

De est.

De Est uerbo personali satis multa diximus in uerborum considerationibus. Si uerò sit uerbum impersonale, significat utile esse, siue ad rem nostram pertinere, quemadmodum & superiora, & cōstruitur cum genitiuo, ut adolescentis est maiores natu uereri. Construitur etiam cum accusatiuo & præpositione In, ut in rem meam est, id est, ex utilitate mea.

Construuntur verò cum ablatiuo generis fœminini.

Exceptio est eorum, quæ dicta sunt. Nam cùm interest, & refert postulent à tergo genitiuum, si iungātur pronominibus possesiuis, meus tuus, suus, noster, uester, iam non genitiuum, sed ablatiuum potiùs generis fœminini numeri singularis exposcūt: ut mea interest legere, tua refert audire. Quibus additur & cuia: ut eius interest fures suspendere, cuia interest iustitiam inuiolatam seruare. Nec loqui posses per genitiuos primitiuorū, mei interest legere, tui refert audire. Cuius ratio est, nam hæc uerba interest & refert, exigunt suo iure genitiuū possessiuæ significationis, cùm uerò genitiui primitiuorum, mei, tui, sui qui adhuc extant, pasionem significent, fit, ut cum his genitiuis construi non pos-

ſint. Neceſſariò igitur recurrendum eſt ad pronomina poſſeſsiua, quæ poſſeßionem ſignificant: cùm in locum genitiuorum, qui iam olim ab uſu receßerunt, mis, tis, ſis, poſſeßionem etiam ſignificantium, ſubſtituta ſint.

Per ablatiuum autem loquimur, non per aliũ caſum, quia nullus caſus eſt genitiuo (ſignificatione ſaltem) ſimilior, quàm ablatiuus. Cuius rei ſatis apertum teſtimonium præſtat nobis lingua Græca, quæ cùm ablatiuo careat, genitiuo pro ablatiuo perpetuò utitur, propter ſignificationis ſimilitudinem. Sed cur potius fœminina terminatione, quàm maſculina utimur? Quia ut paulò antè explicuimus, intereſt ab in, & re, & eſt, compoſitum eſt: refert ab ablatiuo re, & fert. Vt igitur concordantia pronominis poſſeſsiui cum ablatiuo re ſeruaretur, utendum potiùs fuit fœminina, quàm maſculina, aut neutra terminatione. Idem enim ualet mea intereſt, ac ſi diceres in re mea eſt. Idẽ mea refert, ac fert pro re mea, id eſt, utilitate & commodo. Si intereſt & refert Etymologia tibi non arriſerit, recurre ad authorum uoluntatem, quibus fœminina uti placuit, potiùs quàm maſculina aut neutra.

Sed rogabis, quare nobis uti non liceat his genitiuis, mei, tui, ſui, non à primitiuis, ego, tu, ſui, ſed à deriuatiuis, meus, tuus, ſuus, cùm poſſeſsioẽ ſignificent, quod unum poſtulant uerba huius formæ? Reſpondeo id à Grammaticis fuiſſe cautum, ne in Amphibologiam incideremus, quam Latini ſermonis puritas & caſtimonia uehementer formidat. Quid

enim

enim turpius quàm id quod poſsis omnibus manifeſtum facere, tenebris quibuſdam & ambigui ſermonis caligine inuoluere, ut ne à doctiſsimis etiam hominibus intelligaris? Cæterùm ſi rem poſſeſſam ſubiungas, nihil obſtat, quominus ſic Latine loquaris, mei ſerui intereſt, tui mancipij refert.

Sed rogabis ulterius, quare non utamur his genitiuis noſtrum & ueſtrum, cùm actionem etiam ſiue poſſeſsionem ſignificent? Reſpondeo, hos genitiuos noſtrum & ueſtrum uix aliter quàm partitiuè à uiris linguæ Latinæ peritiſſimis uſurpari, ut aliquis noſtrûm, pauci noſtrum, multi noſtrum: & propterea in ablatiuum fuiſſe conuerſos. Tum etiam propter proportionem & affinitatem, quam habent cum mea, tua, ſua: quod idem de cuia dicendum eſt, nam cùm poſſemus per genitiuum cuius loqui, propter eandem Analogiam loquimur per cuia.

Hæc dicta ſint de intereſt & refert, quando iunguntur poſſeſsiuis. Cæterùm ſi eiſdem poſſeſsiuis iungatur uerbum impersonale, eſt, uult illa in nominatiuo ſingulari, idq; in neutra terminatione, ut meum eſt, tuum eſt: quæ loquendi formæ per genitiuum exponuntur, id eſt, mei muneris & officij eſt, uel ſic, ad meum munus ſiue officium ſpectat. Nec loqui poſſemus per ablatiuum mea eſt, tua eſt; quia eſt, non habet intra ſe incluſum ablatiuum re, cum quo poſſeſsiuum, conuenire poſsit, quemad-

modum de interest & refert non multò antè præcepimus.

De nominibus quibus iunguntur mea, tua, sua.

Illud postremò notabis, quod est omnium maximè necessarium, hos ablatiuos mea, tua, sua, capi substantiuè. Vnde fit, ut nominibus substantiuis iungi non posint, nisi facta circunlocutione per uerbũ substantiuum, & nomen relatiuum quis, in hũc modũ, mea qui sum præceptor, interest legere. tua qui es discipulus, refert audire: nec dices, mea præceptoris, tua discipuli. Prætereà nec iũguntur adiectiuis, nisi facta eâdem circũlocutione ut mea qui sum fortis, refert pro patriæ salute mortem subire: nõ mea fortis. Cæterùm excipiuntur certæ quędam adiectiuorum formæ, quibus ex usu Latinorum iungi possunt. Primùm omnium iũguntur his genitiuis unius, solius, ipsius: ut mea unius, tua solius, siue ipsius refert musas colere. Sed si has orationes in pluralem numerum conuertas, loqueris per aduerbia: nostra solùm interest, non nostra solorum: uestra tantùm interest, non uestra unorum: quoniam solus & unus genitiuis pluralibus carent. Cæterùm cum genitiuo ipsorum, satis Latinè & eleganter dices, nostra ipsorum uestra ipsorum. Cicero. 6. Familiarium in Epistola Bythinij ad Ciceronem, Itaque contentus ero nostra ipsorum amicitia, cuius fiducia peto à te, ut absentem me, quibuscũque in rebus opus fuerit, tueare.

Item iunguntur participijs præsentis temporis,

ut

ut mea legentis refert bonos libros euoluere. Cæteris uerò participiorum formis, præteriti scilicet & futuri, non ita eleganter adhærêre solent, ut mea percussi interest chirurgum quærere, mea locuti refert dicta defendere.

Item adhærent nominibus numeralibus cardinalibus, ut uestra duorum interest ad literas animum conuertere, uestra trium refert mori pro patria.

Prætereà iunguntur nominibus adiectiuis quæ à Grammaticis uniuersalia appellantur, ut omnis, cunctus, uniuersus: ut nostra omnium interest in literas uehementer incumbere: quibus adde & partitiua multorum, paucorum, ut nostra paucorum, uel multorum interest patriam defendere.

Postremò nostra & uestra iungũtur huic nomini collectiuo uterque, sed prærogatiua quadam nominis & linguæ Latinæ proprietate in genitiuos migrant. ut utriusque nostrum interest: non nostra utriusque, utriusque uestrum refert, non uestra utriusque.

Grammatices regulæ, quæ in his ablatiuis franguntur.

Vt ultimam manum imponamus huic primæ impersonalium clasi, notabis, propter naturam pronominum possessiuorum aliquot Grammaticæ regulas deficere. Prima est, Cõiũctio copulatiua: ut mea & Petri interest. Secunda, Exponens & expositũ: ut mea interest, id est Alfonsi. Tertia, Quo casu quæreris: ut cuia interest Deo seruire? omnium. Quarta, Adiectiui & substantiui concordantia, ut

mea clamantis, mea ægrotātis. Quinta, Relatiui & antecedentis, ut nostra qui sumus boni, interest Dei mandātis obtemperare. Sexta. Verba impersonalia primæ formæ regunt genitiuum, cum his tamen pro nominibus regunt ablatiuum. Violantur tamen omnes hæ regulæ uoce tenus tantùm, nam in significatione omnes manent saluæ & incolumes: cùm mea, tua, sua, ponantur loco genitiuorum mis, tis, sis, qui iam interciderunt. nostra, uestra, cuia, loco genitiuorum nostrum, uestrum, cuius, qui adhuc in Latinorum ore & linguis uersantur.

De secunda classe impersonalium.

Verba secundæ classis regūt post se datiuum, et post datiuum infinitiuum, uel orationem subiunctiui, ut conuenit tibi audire, uel ut audias. Quæ cum infinitiuo, & sine supposito, impersonalia sunt: cum datiuo uerò, & supposito fiunt personalia, ut tuum consilium mihi magnoperè placet, magnum mihi accidit infortunium. Si uerò infinitiuus, quem regunt à tergo, sit esse uel fuisse, sequetur post infinitiuum datiuus uel accusatiuus. De datiuo Martialis, Nobis non licet esse tam disertis, Qui musas colimus seueriores. De accusatiuo Terentius in Heautontimo. Nobis esse bonas non licet. Ratio huius præceptionis est, nam ante infinitiuum, esse, subauditur alter accusatiuus. Notabis præterea, id quod alioqui his uerbis apponi solet in datiuo, nonnunquam in accusatiuum transferri, ratione sequentis infinitiui. Cicero pro Lucio Flacco, Hanc te capere non licuit. Et. 1. Officio. Hæc præscripta seruantem licet magni

gnifice, grauiter animoséq; uiuere. Et ne existimes id tantùm licere in uerbo licet, idem Cicero eadem usus est constructione in uerbo conuenit, pro Sexto Roscio, Homines ista potestate præditos, his rebus maximè mederi conuenit.

De multiplicibus verbis secundæ clasßis.

Quadruplicia sunt uerba huius ordinis. CONVENIENDI: cum contrarijs, ut conuenit, conducit, expedit, confert, obest, nocet, officit. FACVLTATIS, ut licet, uacat. CONTINGENTIAE, ut accidit, euenit, contingit, usuuenit. CLARITATIS, ut liquet, patet, constat.

Conueniendi.

Conuenio quando est uerbum personale, uarios habet usus, nam significat congregari, & construitur cum accusatiuo media præpositione In, uel Ad. Sallustius in Catilina. Hi postquàm in una mœnia conuenere. Cicero pro Sexto Roscio, Quanta multitudo conuenerit ad hoc iudicium, uides. Significat etiam alloqui, cum accusatiuo sine præpositione: ut uellem te paucis secretò conuenire. Quando est impersonale, significat decens & conueniens esse, cum solo datiuo: ut conuenit mibi insistere maiorum uestigijs. Aliquando significat concordare, aut cum accusatiuo & inter, ut conuenit inter nos, aut cum datiuo & ablatiuo, ut conuenit mibi cum fratre.

De Licet.

Licet aliquando adhæret datiuo, ut nemini licet peccare. Aliquando cum accusatiuo & per, & negatiuè prohibitionem, affirmatiuè potestatem rei alicuius faciundæ significamus: ut non licet tibi per me, uel contrà licet tibi per me. Postremò absolutũ miram habet elegantiam, ut rideas licet, conuitieris licet, facias quicquid uoles licet, Inter uerba huius speciei quædam sunt, quæ duplex habent præteritũ, placuit placitum est, libuit libitum est, licuit licitũ est, displicuit displicitum est.

De tertia Impersonalium.

Tertiæ claßis uerba exigunt à tergo accusatiuũ post accusatiuum infinitiuum, uel orationem subiũctiui: ut decet te facere, uel ut facias. Quæ cum supposito & accusatiuo, sunt personalia, ut talis oratio non decet uirum honestatis studiosum. Sine supposito & cum infinitiuo, impersonalia sunt, ut decet me legere. Sed si infinitiuus quem regunt à tergo, sit esse, uel fuisse, semper post infinitiuum sequetur accusatiuus, ut decet te eße honestum hominem. Loco tamen infinitiui, quem à tergo determinant, habent aliquando accusatiuum participij præteriti temporis, ut uos exoratos decet, id est, exorari. Notabis ultimò, duo uerba huius speciei, decet, & oportet, reperiri tãtùm personalia in tertijs personis quia primis & secundis carent: non enim sunt in usu, deceo, aut oporteo. Reliqua duo, iuuat, & delectat, personalia reperiuntur in omnibus personis, sunt enim usu quotidiano trita, iuuo, & delecto.

De verbis tertiæ classis.

Quatuor tātùm sunt uerba huius claßis, delectat iuuat, oportet, decet, quæ neq; actionem, neq; paßionem propriè significant: sed bonum aut iucundū, ut delectat, iuuat, aut honestum, ut decet, oportet, His adduntur & composita dedecet, periuuat. Illa autem, fugit, pręterit, latet, , quæ multi huic ordini adijciunt, usitatiùs personalia quàm impersonalia reperiuntur, ut hoc non me fugit, latet, aut præterit. Illud tamen unum notabis circa uerba decet & oportet, fuisse scilicet olim cum datiuo constructa, & inter uerba secundę clasśis numerata. Liuius lib. 34. Honesta aut sola, aut prima certè pensari, decet principi orbis terrarum populo, & tanto regi. Plautus in milite, Homini seruo suos domitos habere oportet oculos. Sed tu caue ea utaris constructione, quæ in obliuionem iam uenit.

De quarta impersonalium.

Verba quarti ordinis postulant à tergo accusatiuum, & infinitiuum uerborum quintæ speciei, qui accusatiuus potius ab infinitiuo dependet, quàm à uerbo impersonali, ut debet malos pudere. Hæc autem uerba cum supposito & infinitiuis aliorū uerborum, præterquàm quintæ, personalia sunt, ut incipio legere. Sine supposito uerò, & cum infinitiuis uerborum quintæ, sunt impersonalia, ut incipit me tędere uitiorum. Sed si obijcias reperiri aliquando personalia cum infinitiuis uerborum quintæ in huiusmodi locutionibus, cœpit ille pœnitere, poßes pigere, desinam tædere. Respondeo, ex sentētia Laurentij li 3 Elegant ca. 46. sæpius & usitatius dici,

cœpit illum pœnitere, possèt te pigere, desinet me tædere, in quibus orationibus uerba sunt impersonalia. Quintilianus in milite Mariano, *Neq; si sit cupidissimus uitæ pœnitere eum sui facti potest. Cicero de petendo Consulatu, Si hic ciuis liber est, cuius authoritatis neminē posset pœnitere. Notabis præterea, uerba huius speciei posse aliquādo habere infinitiuum uerborum passiuorum, ut solet dubitari: item uerborum impersonalium passiuæ uocis, ut solet ab omnibus curri, item uerborum naturæ, ut incipit lucescere, solet tardius in quibusdam regionibus aduesperascere.*

De verbis quartæ clasśis.

Quinque sunt uerba huius ordinis, incipit, siue cœpit, desinit, solet, debet, potest: ex quibus aliqua duplex habēt præteritum, ut incipit incœptum est, desijt desitum est. Soleo tamen tantùm habet solitū est. Inijciet tamen tibi aliquem scrupulum huiusmodi dubitatio, Si uerba tertiæ cum accusatiuo cōstruā tur, item uerba quartæ, & quintæ, quidnam inter has species intersit? Respondeo, uerba tertiæ cū accusatiuo & quolibet infinitiuo cōstrui, uerba quartæ cum accusatiuo & infinitiuo: sed neque accusatiuus ille regitur à uerbo impersonali, neque infinitiuus à quibuslibet uerbis descendere potest, sed à uerbis tantùm quintæ. Verba autem quintæ nō tantùm cum accusatiuo, sed cum genitiuo etiam construuntur. Latissima itaque erit differentia inter has tres species.

De quinta impersonalium.

Verba

Verba huius gradus regunt accusatiuum à tergo, post accusatiuum genitiuum, uel infinitiuum loco genitiui, quando genitiuus rem uerbi significat, aut à uerbo descendit, ut pœnitet me uitæ uel uiuere. Si uerò à uerbo non descendat, loco genitiui non ponitur infinitiuus: ut pudet me patris, miseret me pauperis. Hæc autem uerba cum supposito & accusatiuo, sunt personalia, ut non te hæc pudent? Sine supposito & cum accusatiuo & genitiuo, uel infinitiuo loco genitiui, sunt impersonalia, ut pœnitet me peccati, uel peccasse. Fiunt autem personalia in tertijs personis tantùm, non in primis, neque secundis: sunt enim ab usu authorum aliena uerba illa. pœniteo, pigeo, pudeo, misereo, tædeo. Ac propterea Antonius dixit, hæc esse proriè impersonalia, si ulla usquam essent: nam reliqua impersonalia, fiunt personalia in primis, aut secundis personis, hæc autem in tertijs tantùm & rarò.

De verbis quintæ clasis.

Quinque sunt tantùm uerba huius ordinis, pœnitet, piget, pudet, miseret, tædet, de quibus pauca quædã dicamus. Pœnitet dolere significat, cùm quæ ipsi fecimus, ea nobis postea displicere incipiunt, & molesta esse, ut pœnitet me tam turpe facinus patrasse. Aliquando significat parum uideri. Cicero in prologo. 1. Officio. Tandiu autem uelle debebis, quoad te quantùm proficias non pœnitebit, id est, non parùm uidebitur. Ab hoc uerbo descen-

dunt

dunt duo participia, pœnitens & pœnitendus. Cicero Familiarium. 12. Portus optimus pœnitẽti mutatio consilij. Suetonius in Vespasiano, Firmauitq; tandem gens Flauia, obscura illa quidẽ, ac sine ullis maiorum imaginibus, sed tamen Reipublicæ nequaquã pœnitenda, id est, non parui æstimanda. Item pœnitendum gerundium. Sallustius in Iugurtha, Num eorum pœnitẽdum sit. Pœniturus rarò reperitur. Accius, Quòd si procedit, neque te, neque quenquã arbitror pœniturum tuæ laudis.

Piget rarò personale reperitur. Plautus in Menæc. Adolescens quæso loquere tuum mihi nomen, nisi piges. Habet duplex præteritum piguit uel pigitum est. Gellius lib 12. Pigitum est cunctos saltem esse penulatos. Inde participiũ in, dus. Propertius lib. 4 Hostis ab inuita uerba pigenda lyra. Cicero de claris Oratoribus usus est gerundio, Ad misericordiam inducitur, ad pudendum, ad pigendum. Pudet duplex habet præteritũ, puduit uel puditum est Apuleius pro Magia, Nonne uos puditum est hæc crimina tali uiro obiectare? Hinc prodeunt tria participia, pudens, puditus, pudendus. Cicero. 13. Familiarium, Hominem pudentem & officiosum cognosces, & dignum qui à te diligatur. Plinius. 36. Tanquã puditurũ esset extinctos. Gellius lib. 1. Nec pudenda dico aut pœnitenda.

Miseret format præteritum misertum est. Terẽtius in Heautontim Ita me Dij amabũt, ut me tuarum misertum est Menedeme fortunarum. Ab hoc uerbo proficiscitur miserescit, quod impersonale reperi

peritur. Idem in Heautontimo, Inopis misereſcat mei.

Tædet præterito caret, illud tamen mutuò ſumit à uerbo compoſito pertæſum eſt Inde naſcitur participium pertæſus, quod omiſſa ſui uerbi origine cū accuſatiuo cōſtruitur. Suetonius in Iulio, Pertæſus ignauiam ſuam. Idem in Auguſto, Pertæſus morum peruerſitatem.

De uerbis Impersonalibus paſsiuæ vocis.

Poſt tractationem uerborum imperſonalium actiuæ uocis, diſputat Nebriſſenſis de imperſonalibus uocis paſsiuæ: quæ ideò paſsiuæ uocis dicta ſunt, quòd ſimilia ſint tertijs perſonis uerbi perſonalis uocis paſsiuæ. Formanturq́; à tertijs perſonis ſingularibus uocis actiuæ addita, ur, ut currit curritur, pugnat, pugnatur. Neq; exiſtimes eadem eſſe uerba cum paſsiuis, quia terminatione uocis ſimillima ſunt inter ſe, nam licet uocis gerant ſimilitudinem, triplici tamen de nomine differunt. Tum primò quia uerba paſsiua paſsionem ſignificant, imperſonalia uerò paſsiuæ uocis perpetuò ſignificant actionem à quibuſcunque uerbis oriantur. Præterea paſsiua uerba ſuppoſitum habent, cum quo in numero, & perſona conueniant, imperſonalia uerò eo prorſus ſunt orbata. Poſtremò paſsiua à uerbis actiuis deſcendunt, à quibus imperſonalia originem trahere non poſſunt, quatenus actiua ſunt, ut non multò poſt apertè demonſtrabimus. Aggrediamur igitur propoſitam materiam, & explicemus, quidnam ſit uerbum imperſonale paſsiuæ uocis, quid ſigni-

gnificet, à quibus uerbis descendat, quo pacto construatur. Nam præter hæc nihil est, quod amplius poßit in hac materia desiderari.

Quid sit.

Verbum impersonale passiuæ uocis est, quod neque expreßum, neque subintellectum suppositũ habet, cum quo conueniat, & est simile tertijs personis numeri singularis uocis passiuæ. Exponamus membra diffinitionis. Quod neque expressum, neq; subintellectum suppositum habet. Nam hoc est uerbis omnibus impersonalibus commune, ut supposito careant: cum quo in numero & persona conueniat, quemadmodum & uerba personalia hoc habẽt proprium, ut à fronte suppositum habeant, cum quo in duobus accidentibus, numero scilicet & persona cõcordent, ut ego amo. Additur tamen in definitione, Neque subintellectum. propter Priscianũ, qui asserit sub uerbis impersonalibus passiuę uocis nominatiuum rem uerbi significantem subintelligi. Nam cùm dico (inquit, curritur, cursus intelligitur, cùm dico sedetur, sessio, cùm ambulatur, ambulatio. Quę opinio falsa est, tum quia tollit omnia uerba impersonalia nã ea uerba manifestè personalia sunt, sub quibus similis intelligitur nominatiuus. Tum quia sic tribuit passiuam significationem uerbis impersonalibus passiuæ uocis. Et est simile tertijs personis passiuæ uocis. Nam impersonalia in uoce simillima sunt tertijs personis passiuorum. & per eas tantùm coniugantur, idq; non tantùm in præsenti, sed in reliquis temporibus, ut curritur, currebatur, cur-

sum

sum est.

Quid significet.

Verbum impersonale passiuæ uocis semper significat actionem idq; ex resolutione patêre potest. Resoluitur enim per uerbum actiuum numeri pluralis sub eodem tempore, & ablatiuo personę agentis in nominatiuum conuerso, ut reclamatur ab omnibus, id est, omnes reclamant, curritur ab omnibus id est omnes currũt. Quę resolutio multò aptior est, quã illa Prisciani per nomen uerbale & uerbũ fio, curritur, id est cursus fit, certatur, id est, certamen fit. Sic enim significarent passionem impersonalia, quę significatio ab eorum natura plurimum abhorret.

A quibus uerbis descendat:

Oritur autem uerbum impersonale passiuæ uocis propriè à uerbis neutris absolutis, ut itur, curritur, certatur. Verg. 10. ÆEneid. Macte noua uirtute puer, sic itur ad astra. Hora I. Sermo, Saty. 1. Cõcurritur, horæ momento cita mors uenit, aut uictoria læta, Itẽ Verg. 10. ÆEneid. Certatur limine in ipso Ausoniæ. Oritur etiam à uerbis neutris secundi ordinis, ut à noceo nocetur, à seruio seruitur. Cicero. 1. Officio. Primùm ut ne cui noceatur, deinde ut communi utilitati seruiatur. A reliquis uerborũ neutrorum formis, cæterisq; uerborum generibus impropriè & rarò descendunt. Plautus in Pseud. Quid agitur Callidore? amatur, atque egetur acriter. Idem in captiuis duobus, Quasi cùm caletur, Cochleæ in occulto latẽt. Sallustius in Iugurtha,

vti ex libris Punicis interpretatũ nobis est, quàm paucissimis dicam. Apuleius li. 4. Metamor. *Mœretur, fletur, lamentatur diebus plusculis.* Quæ quoniam rara sunt, pro regula assumi non debent neq; enim à nobis relata sunt, ut usui sint, sed ut noscãtur tantum. Ab actiuis uerò absolutis, hoc est, regimine accusatiui casus carentibus, bene descendere possunt impersonalia, ut est communis omnium ferme Grãmaticorum sententia. Verg. *Vsque adeò turbatur agris*, Macrobius. 1. Saturnaliorum, *Eundem esse Iouem & solem claris docetur indicijs.* Cæterùm à uerbis actiuis quatenus actiua sunt, & sui accusatiui constructione gaudẽt, impersonalia passiuæ uocis descendere non possunt, nam si sic, iam post suam priuatam syntaxim, regerent accusatiuum, quod à ueritate prorsus abhorret. Non enim Latinè dici posset, *Matthæum legitur*, sed *Matthæus*, *Grãmaticam auditur*, sed *Grammatica*. Si obijcias, eadẽ proportione, qua Latinè dicitur, *læditur manum*, *frangitur pedem*, posse etiam dici, *legitur Matthæum*, *amatur Deum*. Respondeo, diuersam esse rationem, nam in prioribus per Synecdochen toleratur constructio, in posterioribus synecdoche locum habere non potest, cùm neq; ibi totum sit, nec pars, nec proprietas quæ conueniat toti. Si iterum obijcias, Nebrissensem in uerborum coniugationibus à uerbis actiuis formasse impersonalia, *amatur*, *docetur*, *legitur*, *auditur*. Respondeo, id fuisse consultò à Nebrissense factũ, ut pueri in una uerbi positione tres simul uoces agnoscerent, actiuam, passiuam, & im-

personalem, ut ad eam normam, & proportionem reliqua scirent declinare: Non tamen inde colligas, eam fuisse Nebrißensis mentem, à uerbis. f. actiuis formari posse impersonalia.

Quo pacto construatur.

Verbum impersonale paßiuæ uocis à fronte nullum regit casum, à tergo uerò ablatiuum cum præpositione A, uel Ab, significantem generalitatem, ut curritur ab omnibus: siue ablatiuum nominis collectiui, ut curritur ab utroq;, certatur à populo. Aliquãdo tamen hic ablatiuus ex authorum usu est numeri singularis,. Cæsar. 1. bellorũ Ciuilium, Nequis inuitus sacramentum dicere cogatur, cauetur à Cæsare. Cicero. 5. Familiarium, Nihil est à me inseruitum temporis gratia. Seneca Epist. 85. Sapienti nocetur non à paupertate, non à dolore. Tacitus lib. 1. A Marco Martio prosperè pugnatũ est. Cęterùm præcepta de iis, quæ frequentius contingunt, tradi solent. Prętereà regunt casum uerbi à quo descendũt præter ablatiuum, ut seruitur tibi ab omnibus, nihil mihi noceri potest. Iũgũtur ad hæc casib⁹ generalibus, quales sunt casus præpositionum, Itur in antiquam syluam. Effectiuus, certatur comminus armis. Casus locorum, ut itur Romam. Casus tẽporis ut decem annos à Græcis cum Troianis certatũ est.

De infinitiuis.

Post uerba impersonalia tam actiuæ quàm paßiuæ uocis, differit author de uerbis infinitis. Quæ licèt cum impersonalibus in eo conueniant, ut utraq; numeris & personis careant, dißident tamen longo

interuallo: cùm impersonalia sub figura tertiæ personæ speciem quandam & effigiem numerorum personarumq; nobis repræsentent: infinitiua uerò quãtum in se est, nullos neq; numeros designẽt, neq; personas. Atq; ideò dicta sunt infinita, quòd nihil habeãt finitum, certum, aut determinatum, sed omnia sint in eis indefinita atq; indeterminata. Cũ igitur iã liquidò constet, unde infinita nomẽ acceperint, examinemus necesse est, quidnã infinitiuus sit, unde determinetur, quo pacto cõstruatur, & qua itẽ ratione ex uoce actiua in passiuã cõuertatur. Quibus omnibus pulchrè examinatis, nihil erit quod in hac materia scholasticorũ animis aliquid negotij poßit facessere.

Quid sit infinitiuus.

Quoniã infinitiuus uarijs modis accipitur, uixq; posses intelligere de quo infinitiuo finitio tradi debeat, ut omnis de medio tollatur ambiguitas, eos in principio disputationis libuit percurrere. Vsurpatur Primò pronomine, idq; in tribus potißimùm casibus. nominatiuo. Persius. 1. Sat. Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter, id est, scientia tua nulla est. Accusatiuo. Idem eadem Saty. Tunc cùm ad canicię, & nostrum istud uiuere triste Aspexi, id est, nostram istam uitam tristem. Genitiuo (Tametsi rarò) Terentius in Eunucho. Certè extrema linea amare haud nihil est, id est, amoris. Tunc uerò quando pro nomine capitur, ab alia parte orationis non determinatur, nec regit casum, sed perinde ac nomen siue a frõte, siue a tergo regitur. Secundò pro præterito imperfecto indicatiui tam uocis actiuæ

quàm passiuę: & tunc nominatiuum pro supposito ante se exigit, & post se casum uerbi finiti. Quod ideò præstatißimos authores fecisse asserit Donatus, ut oratio sit maioris assenerationis: concitationisq; motus. Sallustius in Iugurtha. Milites Romani periculi insolito metu, arma capere, alij sese abdere, pars territos confirmare, trepidare. Vergilius. 2. AEneid. Iamq; dies infanda aderat, mihi sacra parari. id est, parabantur, Hoc dicendi genere, quoniam elegantißimum est, & Poetis & Historicis uti licet. Tertiò pro gerundio genitiui & accusatiui casus, Græcorum more: qui cùm gerundijs careant, infinitiuo pro gerundijs utuntur. Vergilius. 2. Georgi. Et iam tempus equûm fumantia soluere colla pro soluendi. Idem in Bucolicis Ecloga 7. Et cantare pares, & respondere parati, id est, ad cātandum & respondendum: hic modus propter metri necessitatem est Poetis admodum familiaris. Quartò pro participio præsentis & futuri in, dus. Vergilius in Bucolicis Egloga. 3. Phyllida amo ante alias, nā me discedere fleuit, id est, discedente. Idem. 5. AEneid. Argenti magnum dat ferre tā lētū, id est, ferēdū, Quintò ꝑ priori supino, ut uado piscari, id est piscatū: tamē hic modus infrequēs est. Sextò ꝑ subiūctiuo, ut nō ueni soluere, id est, ut soluā. Septimò in ꝓpria forma & natura. quādo à parte anteriori ab aliqua orōnis parte determinatur. à posteriori uerò regit casū uerbi à quo originē trahit, ut honestissimū est me uoluptatib⁹ carere. De infinitiuo igit̃ in ꝓpria ui capto, tradit̃ seq̃s definitio:

Infinitiuus est, qui non habet determinatos numeros neq; personas, indigetq; altero uerbo ut perfectũ sensum significet. Examinemus partes finitionis. Qui non habet determinatos numeros & personas. Nam infinitiuus per se sumptus nullius est numeri, nec personæ, sed per adiunctionẽ suppositi ad certũ numerũ & personam reducitur, ita ut me amare sit primæ personæ, te amare secundæ, illum amare tertiæ. Indigetq; altero uerbo, ut perfectũ sensum significet siue eiusdem modi, siue alterius, Eiusdẽ, Verg. 1. AEnei. Nec posse Italia Teucrorum auertere regẽ. Alterius, ut cupio modis omnibus Deo seruire. Nota etiam eam partem finitionis nõ tantũ de uerbo, sed de nomine etiã & participio debere intelligi. nisi enim ab una harũ partiũ terminetur infinitiuus, perfectam sensum aut sententiã importare nõ potest. Adeò enim debilis est naturæ & imperfectæ ut per seipsum nec numeros certos, nec certas personas, nec certã sentẽtiã habere posit, nisi aut nominis, aut uerbi, aut participij præsidijs adiuuetur.

Vnde determinetur.

Ex definitione patet, infinitiuũ esse modum imperfectum, & indigere determinatione alicuius partis orationis, ut aliquid perfectũ significet. Declaremus igitur necesse est, quid sit infinitiuum determinari, & à quibus partibus orationis huiusmodi determinationem accipiat. Tunc infinitiuus determinari dicitur, cùm ad certam personam & numerum coarctatur, ita ut ex uaga & incerta natura, tũ numeris tũ personis certus fiat. Solet autẽ deter-

determinari à tribus partib⁹ orationis, nomine, uerbo & participio. De quibus singulis dicamus oportet. Nomina aut sunt substãtiua, aut adiectiua si substantiua, adhærere solent gerundio genitiui, præter pauca quædam, quę determinant infinitiuum. Ea sunt, res, opus, fas, nefas operæpretium, usus, & adiectiua in neutro genere substantiuè capta Id exemplis uerum esse ostendamus, optima res est agricolare, non agricolandi: non est mihi opus respondere, non respondendi Fas siue nefas est dicere, non dicendi. operæpretiũ est audire non audiẽdi: honestũ est inopi succurrere, non succurrendi De usus, idẽ censeto, quod de opus. Si uerò sint adiectiua, ex his quædam determinant infinitiuum tãtùm, ut lætus te bene ualere, dignus habere multas opes. Quædã tã infinitiuũ, quàm genitiui gerundiũ, illa præsertim quæ à uerbis originem trahunt: ut timidus, cupidus, auidus nauigare & nauigandi.

Secundò determinatur infinitiuus à uerbis uarij generis: uoluntatis, ut uolo, cupio, desidero, opto debeo, habeo facere. Item à uerbis sensus, ut uideo, audio, intelligo sentio. Præterea principij, medij, finis, ut incipio, soleo, desino militare. Item imperij, ut impero, iubeo, præcipio tibi facere. Potestatis, ut possum, ualeo tibi iniuriam inferre. Postremò à uerbis impersonalibus uocis actiuę, ut conuenit mihi docere, iuuat me saltare. Linguæ, ut dico, aio, affirmo, & ab alijs uerborum formis, quas superuacaneum esset recensere.

Tertiò à participijs suã naturã retinẽtibus ut ti-

timens nauigare, cupiēs discere. doctus, prōptus, cō suetus cātare. Cæterum si à sua natura degenerēt, & in uim nominis trāseāt, gerundiū genitiui determinant: ut cupiēs discēdi, timēs nauigādi. Nam participia iuncta infinitiuis, dicūtur seruare uim participiorū, iunctā gerundio, uim nominū. Aliquādo determinatur à uerbo & nomine simul iunctis, quādo altero sublato, alterū determinare infinitiuum non potest. ut non est animus acerbitaté tuarū literarū hic cōmemorare: itē graue est Rempublicā gubernare. Aliquādo ponitur sine determinatione per eclipsim. Verg. 1. Æneì. Mene incepto desistere uictam? subintelligitur tamē decuit, aut aliud quidpiā, à quo infinitiuus determinetur.

Quo pacto construatur.

Vt certa de infinitiuorū cōstructione præceptio tradi possit, distinguas oportet de infinitiuo. Nā aut est personalis: aut impersonalis, si personalis, aut adiectiuus aut substātiuus. Agemus igitur primo loco de infinitiuo personali adiectiuo. 2. de substātiuo. 3. de impersonali. Infinitiuus personalis uerbi adiectiui, à fronte regit accusatiuū personæ agētis in actiua significatione, & personæ patiētis in passiua, à tergo uerò casum uerbi, à quo descēdit. ut me amare Deū bonū est. parentes castigare filios laudabile est, carere uoluptatibus, & inseruire amicis iocūdum est. Per passiuam sic, Deum à me amari bonum est, filios à parentibus castigari laudabile. Quoties tamen infinitiuus actiuæ significationis cum duobus accusatiuis ante se construitur, quorum alter à par

te anteriori, alter à posteriori regatur, Amphibologica est constructio: quæ tanquam uitiosa modis omnibus fugienda est. Quale fuit oraculum illud Apollinis, Aio te AEacida Romanos uincere posse. Ambiguũ erat, uter esset uicturus, an Pyrrhus Rex Epirotarum, an populus Romanus, quæ oratio si per uocem passiuam fiat, omnis tolletur Amphibologia. Aio te AEacida uinci à Romanis posse. Permittitur etiam huiusmodi locutio per duos accusatiuos, quando in sensu orationis nulla est ambiguitas: quale est illud Terentij uerbum in Eunucho, Ego me illam amare fateor, Item illud, Heus tu purgem me de isthac Thaidi, quòd me eam amare suspicatur? Aduertas etiam oportet, infinitiuum à frõte aliquando cum accusatiuo construi non posse, sed cum nominatiuo, quando scilicet uerbi determinati, & determinantis est idem suppositũ. Quod cõtingere solet cum uerbis uoluntatis, potentiæ, principij, medij, & finis: ut cupio legere, nõ cupio me legere possum tibi inseruire, non possum me tibi inseruire, licet aliquando in oratione exprimatur. Cicero in Catilinam, cupio me esse clementem. Terentius in Eunucho. Mori me malim, pro cupio esse clemens & mori malim. Cæterùm quando suppositum uerbi determinantis & determinati, non est eiusdem personæ, necessariò exprimitur accusatiuus, ut cupio te id facere, uolo te uti amico nostro familiarissimè.

De infinitiuo Esse.

Secundo loco promisimus nos tractaturos de infinitiuo uerbi substantiui, cuius constructio, quoniā uaria est, quibusdam regulis explicabitur. Sit prima Si præcesserit nominatiuus solus infinitiuū esse, sequetur alter nominatiuus, ut cupio esse Poeta. Si uerò præcesserit nominatiuus cum datiuo, aut sunt eiusdem personæ, aut diuersarum, si eiusdem, sequetur nominatiuus, ut uideor mihi esse doctus, si diuersarum, aut casus sequens respondet nominatiuo aut datiuo, si nominatiuo, sequetur nominatiuus, ut uideor tibi esse doctus, si datiuo, sequetur etiam datiuus ut Deus dedit tibi esse beato.

Sit secūda, Si præcesserit genitiuus, sequetur accusatiuus & non alter genitiuus, ut Ciceronis interfuit esse eloquentē, Romanorum retulit eße bellicosos, nō eloquentis, aut bellicosorum, quia huiusmodi constructio est Latinis auribus inaudita.

Sit tertia. Si præcesserit datiuus, sequetur datiuus uel accusatiuus, quia alter accusatiuus à fronte intelligitur, ut natura dedit omnibus esse beatis, uel beatos. De datiuo, Cicc. lib. 1. Tuscula. Licuit otioso esse Themistocli, licuit Epaminōdæ. De accusatiuo, Idē pro Cornelio Balbo, Ciui Romano licet esse Gaditanum.

Sit quarta, Si præceßerit accusatiu⁹, sequeť semp accusatiuus, ut uolo me esse Poetam, & non Poeta.

Sit quinta, Si præcesserit uocatiuus sequetur nominatiuus, quia alter nominatiuus secundæ personæ à frōte intelligiť, ut Petre uis esse cōtubernalis meus?

Sit sexta, Si præcesserit ablatiuus sequetur accusatiuus

tiuus multò elegantiùs, quàm ablatiuus, ut utor Petro uolenti esse contubernalem meum, uel contubernali meo.

Sit septima, Si nullus casus præcesserit, sequetur accusatiuus, qui casus magis quadrat infinitiuorum naturæ. Ouidius. 5. Metamor. Quantum est esse Iouis fratrem. Et. 9 Et me dignus eras, uerùm nocet esse sororem. Quæ regulæ traditæ sunt pro infinitiui, esse, constructione, poterunt ad uerba reciproca & uocatiua accommodari.

De infinitiuo impersonali.

Infinitiuus uerbi impersonalis à fronte nullũ casum regit, à tergo uerò tam in uoce actiua, quàm in passiua construitur cum aliorum modorum casibus, ut mea referre in uirtutis studio immori, quis dubitat? Item nihil est Deo gratius, quàm hominem peccati commissi pudere. Item etiam, ab scholasticis in arena literaria strenuè certari quis non gaudet?

De conuersione infinitiui actiui in passiuum.

Fit autem conuersio uocis actiuæ in passiuam, in hunc modum. Accusatiuus patiens, qui est à tergo, mutatur à fronte in eodem casu: accusatiuus uerò agens qui erat à fronte, mutatur in ablatiuum cum præpositione A, uel Ab, uel in datiuum à tergo. Vt bonum est me amare Deum, bonum est Deum amari à me uel mihi. Posses etiam accusatiuum agentem qui erat ante infinitiuum, mutare in accusatiuũ post infinitiuum mediis præpositionibus, Per, Inter, Apud, ut intelligo uiros probos Deum colere, intelligo Deum coli per uiros probos, siue inter, uel apud

uiros probos. Fallit tamen conuersionis regula, quando infinitiuus determinatur à uerbis significantibus potestatem principium medium, finem, aut obligationem aliquam. Tunc enim accusatiuus patiens mutatur in nominatiuum, ut ego possum, incipio, soleo, desino, debeo Deum colere. Deus potest, incipit, solet, desinit, debet à me coli.

De circunloquijs.

Perductis iam ad finem infinitiuis, reliquum est, ut de circunloquijs agamus, quæ ideò circunloquia dicta sunt, quòd per ea futurum infinitiui tam uocis actiuæ, quam passiuæ circunloquamur. Nam cùm nullum in lingua Latina uerbum sit, quod proprium habeat infinitiui futurum, præter forem defectiuũ, quod habet fore pro futurum esse) illud necessitate quadam ex diuersis partibus cõsicere coacti sumus. In primis explicemus, quidnam sit circunloquium, mox quotuplex sit, deinde sigillatim omnia circunloquia suo ordine percurremus, ex quibus partibus conficiantur ostendentes.

Quid sit circunloquium.

Circunloquium est quidam uerborum circuitus, quo pluribus uerbis explicamus, quod uno explicari poterat, ut ego sum amans, pro ego amo, ego erã amans, pro ego amabam.

Quotuplex sit.

Est autem duplex circunloquium, uoluntarium, & necessarium. Volũtariũ est, quãdo id quod uno uerbo dicere possemus, pro uolũtate et arbitrio nostro pluribus explicamus. Quo pacto omnia uocis

actiuæ circunloquia uoluntaria sunt, quando ea fieri, aut non fieri ex nostra pendet uoluntate, ut ego sum legens, pro ego lego, utinam ego essem legens, pro utinā ego legerem, de quo circunloquio non est in præsentia sermo. Necessarium est, quādo id quod uno uerbo dicere non possemus, cogimur pluribus dicere, quo pacto omnia circunloquia uocis paßiuę quæ fiunt per participium præteriti & uerbū substantiuum necessaria sunt. Item etiam omnia circū loquia futuri infinitiui modi tam uocis actiuæ quàm paßiuæ, de quibus modò suscipitur disputatio. Sunt igitur tria circunloquia huius futuri in uoce actiua totidem in pasiua.

De Amatum ire, primo circunloquio vocis actiuæ.

Primum circūloquium actiuæ uocis fit ex priori supino, & infinitiuo ire, ut spero me amatum ire Deum. Vbi notabis, amatum ire, tempus futurū significare, non præsens: ac licèt ire, per se sumptum motum significet, in circunloquio tamen nullum motum præseferre. Laurentius tamen Valla libro primo. Elegant. cap. 28. affirmat, amatum ire tempus præsens significare. Nam aliud est (inquit) oratum ire, quàm oraturum esse, aliud cœnatum ire, quàm cœnaturum esse. Nam oratum ire, cœnatum ire, temporis sunt præsentis, oraturū esse, cœnaturum esse, futuri. Quibus uerbis si sentiat amatum ire, quatenus prius supinum est à uerbo motus determinatum, tempus præsens significare, satis egregiè præcipit, neque id quisquam qui sani sit

cerebri negare audebit. Cæterùm si sentiat, amatū ire, quatenus futurum infinitiui est tempus præsens importare (quod ego de tanto uiro mihi persuadere non possum) deceptus planè est. Notabis præterea, hoc circunloquium a uerbis significantibus actionē, significare etiam actionem, ut spero te amatum ire Deum. A uerbis uerò significantibus passionem, significabit etiam passionem, ut spero te uapulatum ire. Hoc idem circunloquium à fronte regit accusatiuum agentis, à tergo casum uerbi cuius est circunloquium, ut spero te seruitum ire Deo.

De Amaturum esse, secundo circunloquio uocis actiuæ.

Secundum circunloquium uocis actiuæ fit ex participio futuri in, rus, cū infinitiuo esse, ut spero me amaturum esse Deum. Quod per omnia genera & numeros uariatur, conuenitq; semper cum accusatiuo rei agentis in genere, numero, & casu, ut spero me amaturum esse, spero uirginem nupturam esse, spero uiros amaturos esse, & fœminas etiam amaturas. Hoc etiam circunloquium à uerbis significantibus actionem, significabit actionem: à passionē significantibus, passionem: ut spero te amaturū esse, spero te uapulaturum esse. Ante se habet accusatiuum post se casum uerbi cuius est circūloquium, ut spero te seruiturum esse Deo. Laurentius Valla li. 1. Elegant. cap 26. affirmat dici non posse amaturū fore, ita ut loco esse, ponatur fore, ne duo participia tempus futurum significantia coniungantur, tātum enim ualet amaturum fore, ac amaturum futurum.

rum Cum infinitiuo igitur fore, præcipit loquendũ esse per nomina, amatorem uel amicũ fore, uel per participia facta nomina, amantem fore. Cæterum hæc præceptio authorum usu falsa esse probatur. Cicero ad Atticum lib 5 epistola ultima, Deinde ad dis, si quid secus, te ad me fore uenturum. Idem pro Milone, Viuo Publio Clodio nihil horum uos uisuros fore, Idem sit iudicium de amandum fore. Idem Cicero tertio Familiarium. Quasi diuinarem tali in officio fore mihi aliquando expetendũ studiũ tuũ. Liuius Decadis quartæ libro septimo, Aut sub pellibus habendos milites fore. Idem libro sexto eiusdẽ Decadis. Eò quoque mittendos eos fore legatos.

De amaturum, tertio circunloquio vocis actiuæ.

Tertium circunloquium uocis actiuæ fit ex solo participio futuri in, rus, in accusatiuo posito, idq; in neutra terminatione indeclinabiliter: ut spero uiros amaturum. Quod deseruit omnibus generibus utriusque numeri, ut spero uirginem nupturum tibi, & uirgines nupturum uiris. Accipiet autem significationem, iuxta rationem uerbi à quo descẽdit, à fronte accusatiuum habet, cum quo non conuenit in genere, aut numero. à tergo regit casum uerbi à quo descendit. Hoc tamẽ circunloquio licèt propriũ futurum infinitiui esse dicatur, non utimur, licèt antiqui eo frequenter fuerint usi.

De amatum iri, primo circunloquio vocis passiuæ.

Primum circunloquiũ paßiuæ uocis fit ex priori su-

ri supino & infinitiuo iri uerbi impersonalis uocis passiuæ, ut spero me amatum iri à Deo. Et *quanuis fiat ex duabus partibus actionem significantibus, to tum tamen circunloquium paßionem significat.* Cicero lib.5. Episto.1. epist. Quinti Metelli, *Existimaram pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, nec absentem ludibrio læsum iri, nec Metellum fratrem ob dictum, capite ac fortunis per te oppugnatum iri. Vbi bis in eadem periodo eodē circonloquio usus est Cicero in passiua significatione.* Idem.2. Rhetoric. *Deinde cæteros à uirtutis studio repulsum iri. A fronte regit accusatiuum rei patiētis, à tergo ablatiuum cum præpositione* A, *uel* Ab, *ut nunquam putaram fratrem meum læsum iri abs te.* Qua *in parte deceptus est* Antonius, *qui in commentarijs asserit, iri, uerbum esse impersonale uocis passiuæ, & actionem significare, & non posse construi cum ablatiuo, nisi ablatiuus ille generalitatem significet, quemadmodum in uerbis impersonalibus passiuæ uocis ab eodem præceptum est.* Vnde *negat,* Latine *dici posse, spero me amatū iri à* Deo, *quoniam ablatiuus ille generalitatem nō significat. Sed opinionem hanc falsam esse ostendunt authoritates Ciceronis à nobis paulò ante citatæ, & communis etiam Gramaticorum schola.*

De amandum esse, secundo circunloquio vocis passiuæ.

Secundum *circunloquium passiuæ uocis fit ex participio futuri, in dus, cum infinitiuo eße, siue fore, ut amandum esse, amandum fore.* Quod *per*

omnia genera & numeros uariatur, conuenitq; semper cum accusatiuo rei patientis in genere, numero, & casu: ut spero Deum amandum esse à me, uel matrem à me colendam, uel studiosos adolescentes à me honorificis præmiis exornandos. Significat semper passionem, & ante se regit accusatiuum patientis, post se casum uerbi passiui, à quo descendit, ut in exemplis propositis uidere est.

De Amandum, tertio circunloquio vocis passiuæ.

Tertium circunloquium passiuæ uocis fit ex solo participio futuri in, dus, in accusatiuo posito, idq; in neutra terminatione indeclinabiliter, ut amandum. Quod deseruit omnibus generibus utriusque numeri, ut spero pacem petendum, uirtutes amandum. Nec concordat cum accusatiuo patienti, significatq; semper passionem, & ante se regit accusatiuum, post se uerò casum uerbi passiui à quo descendit, ut spero uirtutes colendum ab omnibus. Hoc tamē circunloquio nos non utimur, licet eius fuerit apud antiquos frequens usus. Lucretius AEternas quoniam pœnas in morte timendum. Verg. etiam ad antiquitatis imitationem, Et pacem Troiano ab rege petendum.

Hæc sunt circunloquia tam uocis actiuæ, quàm passiuæ. Si tamen quæras, an à uerbis deponentibus tertiæ classis oriatur secundum uocis passiuæ circū loquium, item à uerbis neutris passionem significantibus. Respondeo, ex duobus prius fieri posse, ut spero amicos à me consolandos esse: posterius

uerò

uerò minimè, nō enim Latinè dicitur, credo me exulandum esse, aut exulatum iri, sed exulaturum, aut exulatum ire: ne duo paßiua (teste Valla) coniungamus.

De Gerundijs.

Post uerba infinita, disputat Nebrissensis de Gerundijs, quæ à gerendo dicta sunt: siue quòd significationem & constructionem aliquando gerant uerbi, à quo descendunt: siue (quòd multò mihi magis placet) quòd rei administrationem siue habitum sine tempore significent: gerere enim apud probos authores, & Latinitatis principes administrare significat. Vtrùm uerò gerundium ab octo partibus orationis diuersum sit, an inter eas connumerari debeat, non est parua inter ueteres Grammaticos cõtrouersia. Diomedes, Probus, Donatus uerbum esse affirmāt, cùm more uerbi post se casum regat, ut tempus est carendi uoluptatibus. Verùm horum opinio falsa est, nam uerbum per modos & tempora inclinatur, & in ratione suppositi à frõte casum regit quod à natura gerundiorum prorsus abhorret, quę per casus & genera uariantur, nec regere casum à fronte possunt. Priscianus asserit gerundiū esse nomen, cùm per casus & genera uarietur, ut amandi, do, dum. Sed eius opinio nihil habet cum ueritate coniunctum, nam gerundium suapte natura in significatione actiua casum regit sui uerbi, nomē uerò citra figuram regere accusatiuum non potest. Laurentius Valla asseuerat nomen esse participiale, quòd partem accipiat à nomine, partem à participio:

cipio, à nomine, casus, genera cum declinatione: à participio, significationem, & constructionem uerbi, à quo descendit. Hæc etiam sententia plurimum habet falsitatis. Nam participium significat tempus futurum sine ulla rei administratione, & à tergo in significatione passiua ablatiuum regit loco personæ agentis, ut causa est à me oranda, id est, orabitur: Gerundium uerò rei administrationem importat sine ulla temporis significatione, & casum à tergo regere non potest, cùm passionem significat, ut est mihi cura iuris dicundi. Nos igitur cum Nebrissensi teneamus, gerundium esse aliam orationis partē distinctam ab illis octo, quæ adeò nomini similis est, ut si casum uerbi non regeret, nihil quicquam præter nomen esset. His igitur omnibus leuiter prægustatis explicemus sic in commune, quidnam sit gerundium quo pacto construatur, quotuplex sit: ut facta partitione, omnia tum substantiua, tum adiectiua gerundia disputatione percurramus.

Quid sit Gerundum.

Gerundium est pars orationis declinabilis, per casus, sine tempore, gerens significationem & constructionem uerbi à quo deriuatur, & rei administrationem significans. Discutiamus huius finitionis membra. Est pars orationis, ut secludatur à litera & syllaba, nam litera est pars syllabę, syllaba dictionis, gerundium uerò orationis. Declinabilis: ut seiungatur à quatuor partibus indeclinabilibus, prępositione, aduerbio, interiectione, coniūctione. Per casus, ut separetur à uerbo, quod per modos &

tempora, non per casus inclinatur. Sine tempore: ut à participio differat, quod prater suũ principale significatum temporis differentiam aliquam importat. Gerens significationem & constructionẽ uerbi, à quo deriuatur: ut discrepet à nomine & pronomine, quoniam nomen & pronomen nec significationem nec cõstructionem uerbi gerunt, gerundiũ uerò & significationem & constructionem uerbi repræsentat (in significatione saltem actiua: nam in passiua absolutè in oratione ponitur, nec cum ullo casu construitur.) Et rei administrationẽ significãs, ut distet à participio, quod ad tempus futurum refertur: gerundium contrà, modò sit adiectiuum, rei administrationem, hoc est, habitum, & rei alicuius faciundæ assiduum usum & consuetudinem significat.

Quo pacto construatur.

Hoc documentum habeant omnes pro comperto, neque in eo cuiquam detur dubitandi locus, gerundia ante se casum non regere, cùm solius uerbi sit à fronte in ratione suppositi casum postulare, modò loco personæ agentis, modò patientis. Vnde teste Valla lib. 1. Elegãt. cap. 27. sacræ illæ locutiones inauditæ sunt, In conuertendo Dominus captiuitatem Sion, In deficiendo ex me spiritum meum, In conueniendo populos in unum. Græca enim figura interpretem decepit, nam infinitiuum his locis habent Græci, quo pro gerundijs utuntur, quibus carent. Casum ergo infinitiui gerundijs accommodauit interpres, ac propterea in locis illis prolapsus est.

De

Debuisset enim aut per ablatiuū absolutum è Græco idiomate in Latinum trāsferre, Cōuertente Domino, deficiente ex me spiritu meo, conuenientibus populis in unum: aut per subiunctiuum, hoc modo, cùm conuerteret Dominus, cùm deficeret spiritus, cùm conuenirent populi. Post se uerò regunt casum uerborum à quibus descendunt, ut tempus est amā di Deum, in seruiendi amicis, miserendi pauperum. Quod intellige, dummodò gerundia actionem significent, nam si passiuè capiantur, nullum casum regunt. Nec enim Latinè dicitur, ueni Complutum ad docendum ab eloquentiæ magistris, sed ut docear. Nec, ueni ad uapulandum à præceptore, sed ut uapulem. Excipe etiam gerundium datiui, quod tamet si actiuè capiatur, cum accusatiuo cōstrui non solet, ut in huius casus constructione latius patebit. Excipe postremò uerborum reciprocorum gerūdia, quæ cum suorum uerborum casibus construi non solent. Barbara est enim huiusmodi locutio, Veni Complutum gratia euadendi doctus. Barbara etiam illa, Cōmoda occasio sese obtulit ambulandi lætus, sed ut ambulem lætus.

Quotuplex sit.

Gerundia duplicia sunt, aut substantiua, aut adiectiua: de adiectiuis postremo loco erit disputatio, de substantiuis, modò disseramus. Quæ non ideò substantiua dicta sunt, quòd substantiam significent, sed quòd cum substantiuis non concordent in genere, numero, casu, neque eorum uelint habere consortium. Reperiuntur autem in quinq; casibus. Nomi

natiuo, ut seruiendum est: genitiuo, ut cura seruiendi Deo tenet me: datiuo, ut non sum soluendo, accusatiuo, ut ad seruiendum paratus: ablatiuo, ut delector seruiendo. Antonius tamen Nebrißensis in tribus tantùm casibus reperiri affirmat, genitiuo, accusatiuo, ablatiuo, nam gerundium nominatiui prorsus negat, datiui difficulter satis admittit.

De Gerundio substantiuo nominatiui.

Gerundium nominatiui conficitur ex uoce quadam neutra terminata in, dum, quæ uox à gerundio adiectiuo finito in, dus, originem trahit, quod tametsi in usu non sit, fingendum tamen est, non tantùm in hoc nominatiui casu, sed in reliquis casibus gerundiorum. A fronte non regit casum, sed determinatur à uerbo substantiuo per omnes modos & tempora, siue expreßo, siue subintellecto. A tergo pro persona agenti datiuum regit, post quem desiderat casum sui uerbi, præter accusatiuum, quem si aliquando regit, illud est per quàm raró, ut carendum est mihi uoluptatum, seruiendum est mihi Deo, utendum est mihi uirtute. At non dices, legendum est mihi Ciceronem, tametsi aliquando similis accusatiui constructio reperitur. Cicero de Senectute, Tanquam uiã longam nobis quoque ingrediundum sit. Idem ad Atticum lib. 14. Iterandum eadem ista mihi. Item Columella lib. 2. Resecandum est, & ulcera medicamẽtis curandum. Item etiam Varro lib. 1. Rerum rusticarum, Præfectos alacriores faciẽdum est præmijs. Idem lib. 2. de Analogia, Sic enim omnes repudiandum artes, quòd in eis discrepant scriptores. Descẽ

dit

dit ab omnibus uerborum generibus: & à uerbis significantibus actionem, significat actionem, ut amandum est, seruiendum est, consolandum est, criminandum est: à uerbis tamen neutris tertiæ & quartæ claßis, à quibus rarò descendit, paßionem significabit, ut uapulandum est. N*otabis etiã importare semper necesßitatem quandam, atque ita resolui per opus, uel oportet, uel debeo: ut moriendum est semel id est, opus est uel oportet semel mori.* V*iuẽdum est tibi tuis moribus, non alienis, id est, debes uiuere tuis moribus.*

C*irca hoc tamen nominatiui gerundium mirè se torquent omnes* G*rammatici.* A*lij censent in hac cõstructione & similibus, inseruiendum est mibi tempori, inseruiendum, esse participium futuri in,* D*us.* S*ed falluntur, tum quia participium significat pasßionem, quam gerundium non significat, sed actionem potiùs: tum etiam quia participium non construitur cum accusatiuo, cum quo gerundium nominatiui construi non multò ante probauimus.* A*lij arbitrantur nomen esse uerbale: qui in eodem sunt errore, nam uerbale nomen paßionem significat, & non construitur cum accusatiuo.* E*isdem rationibus probari poterit, neque esse futurum infinitiui, neque uerbum impersonale pasßiuæ uocis.* R*eliquum igitur sit, gerundium esse nominatiui.*

De gerundio genitiui.

G*erundium genitiui finitur semper in di, & fit ex neutra terminatione participij futuri in, dus,*

A fronte non regit casum, sed uult determinari à nominibus substantiuis appellatiuis, nō ab omnibus, sed ab ijs potißimùm quæ rem significant incorpoream: qualia sunt nomina significantia tempus, uel temporis occasionem, ut tempus, hora, annus, dies, mensis, occasio, commoditas, opportunitas. Item nomina significantia uoluntatem, aut rei alicuius desiderium, ut uoluntas, amor, cupiditas, studium, labor, diligentia. Item significantia causam, uel artem aliquam, ut causa, gratia, ratio, ars, disciplina. Determinatur secundò à quibusdam nominibus adiectiuis uerbalem significationem habentibus, ut cupidus, timidus, auidus discendi: quibus adde certus & incertus, ut certus eundi, incertus nauigandi. Determinatur tertiò à participijs transeuntibus in nomina, ut timens, cupiens, doctus, consuetus nauigandi. Notabis tamen, solere sæpißime nomina substantiua, tam genitiui gerūdium, quàm infinitiuum determinare, præsertim quando iunguntur uerbo substantiuo: quod utrum ad Græcorum morem referendum sit, ipse uideris, satis tamen sit illud obseruasse. Cicero libro secundo de Oratore, Si omnem uim Oratoris in argumentis posuissem, tempus esset iam de ordine argumentorū dicere. Cæsar lib. 5. belli Gall. Respondit, non esse consuetudinem populi Romani accipere ab hoste armato conditionem. Liuius libr. 1. Tempus est maiora conari. Gellius libr. 1. Et quæ ipsi opinarentur, expromere potestas erat. A tergo si actionem significet, regit casum sui uerbi, ut tempus est Deum colendi, si paßionem, nullum regit

git casum, ut tempus est uapulandi, neque addes à præceptore. Si quæras, quid significet? A uerbis actiuis neutris, primæ, secundæ, & quintæ claßis, deponentibus, & communibus in actiua significatione significabit actionem: à uerbis tamen neutris tertiæ & quartæ claßis, & communibus paßiuæ significationis paßionem significabit. Est tamen cùm à uerbis actiuis non actionem, sed paßionem significet. Cicero in Topicis, Causarum genera duo, unum quod ui sua efficit, ut ignis: alterum quod naturam efficiendi habet, ut æs: id est, ut efficiatur. Idem libro secundo de Officijs, Atque hæ quidem sunt causæ diligendi grauißimæ, id est, quibus diligamur. Suetonius in Claudio, Cui lectica per urbem uehendi ius tribuit, id est, ut ueheretur.

Illud prostremò notabis, solere gerundium hoc genitiui substantiuum, regere genitiuũ pluralem, idq; non tantùm apud Comicos, sed apud Oratores & Historicos etiam. Cicero in Philippicis, Agitur, utrum Marco Antonio facultas detur agrorum suis latronibus condonandi. Suetonius in Augusto, Epulum præbuit, permissa iocandi licentia, diripiendiq; pomorum. Marcus Varro libro secũdo Rerum rusticarum. Aliquod fuit principium generandi animalium. Plautus in captiuis duobus, Nominandi tibi istorum, magis erit, quàm edundi copia. Nec dixeris, gerundium genitiui in exemplis propositis poni pro gerundio adiectiuo, nam in hoc exemplo Terentiano pro eo poni non potest, Da-

te copiam crescendi nouarum: non enim posses exponere crescẽdarum nouarum, cùm uerbum cresco simile gerundium formare non possit. Nec item dixeris, fieri figuram Antiptosin, & casum pro casu poni, quoniam in eodem Terentij exemplo, non posses in hunc modum exponere, Crescendi nouarum, id est: crescendi nouas: cùm cresco uerbum sit neutrum absolutum, neque accusatiuum regere possit. Reliquum est igitur, ut genitiuus ille pluralis à gerundio substantiuo regatur, cum multa Latini sermonis elegantia & nitore.

De geruudio datiui.

Gerundium datiui finitur in, do, & fit ex neutra terminatione participij futuri in, dus. A fronte non regit casum, sed determinatur à nominibus adiectiuis, uerbis, participijs, quæ sua natura datiuum regunt. De nominibus, ut aptus, idoneus, opportunus seruiendo. De uerbis, ut do operam, uaco, incumbo scribendo. Determinari etiam solet à uerbo substantiuo, ut non sum soluendo. De participijs, ut promptus, paratus, consuetus scribendo. A tergo uerò construitur cum casu uerbi à quo descendit, si actionem significet, præter accusatiuum (ut author est Laurentius libro primo Elegantiarum capite. 27. de gerundijs) Absurdum namque ex eius sententia esset dicere, do operam colendo agrum, & legendo librum, sed per gerundium datiui adiectiuum, do operam colendo agro, uineæ pastinandæ, nemori succidendo. Verùm, ut ego quod sentio in hac parte dicam, quando gerundium

dati

datiui à uerbo, sum, determinatur, ferè absolutè po nitur in oratione, ut non sum soluendo: quòd si casum regat, nullum præter datiuum, ut non sum tibi soluendo. Quintilianus in Gladiatore, Placeamus licet nobis fortuna nostra, pater, pauperi soluendo non sumus. Cæterùm si determinetur ab alijs uerbis, aut nominibus, aut participijs, quæ sua natura datiuum regunt, non dubito cum accusatiuo posse cõstrui. Quam præceptionem placuit multis authorum exemplis roborare, ne quisquam audeat eã falsitatis arguere. Valerius Maximus li.3. Publius Scipio cùm in Sicilia augendo exercitum, traiiciendoq́; in Africam opportunũ quæreret gradum. Cicero. in Hortensio, Magna animi contentio adhibenda est explicãdo Aristotelem, si leges. Sallustius in proœmio Catilinariæ coniurationis, Neque uerò agrũ colendo, aut uenando, seruilibus officijs intẽtum ætatem agere. Plautus in Epidico, Ego relictis rebus Epidicum quærendo operam dabo. Idem in Pænulo, Ancillæ nos lauando operam dederunt. Quibus exemplis docemur, datiui gerundium cum accusatiuo construi posse, quando à uerbis, aut nominibus, aut participijs datiuum regentibus, determinatur. Dices, orationem fluere numerosiorem, ac modulatiorem multò, si gerundijs adiectiuis potiùs, quàm substantiuis utamur. Non nego, sed nobis de Grammatica præcipientibus non tam elegantia, uerborũq́; ornatus quærendus est, quàm orationis proprietas & apta partium congruentia, ac postremò quid apud proceres illos Latinitatis fuerit in usu. Si quæ

ras, quid significet? A uerbis omnibus actionē signifi cātibus, actionē significabit: exceptis neutris tertiæ & quartæ classis, à quibus passionem significat.

De gerundio accusatiui.

Gerundium accusatiui finitur in, dum, & fit ex neutra terminatione participij in dus. Ante se nullū regit casum, quod est gerundijs omnibus commune, sed determinatur à tribus partibus orationis, nomi ne adiectiuo, participio, & uerbo. De adiectiuo, ut idoneus, facilis, difficilis, bonus, malus, commodus, in cōmodus, aptus, ineptus. De participio, ut paratus, succinctus, intentus, conueniens, sufficiens. De uerbo tum motū, tum quietē significanti, ut eo ad legendū, sedeo ad scribendū. Huiusmodi autē determinatio, quæ fit à parte anteriori, fieri solet frequentiùs me dijs illis præpositionibus, Ad, Ob, Propter, Inter, Ante: ut ad, uel ob, uel propter numerādū pecunias ueni. Inter cœnandum, ante domandum. Quibus tu addere poteris duas alias, In, & circa. Titus Liuius In fossas & cloacas exhauriēdas demersere. Fabius lib. 4. Non enim solùm Oratoris est docere, sed plus eloquentia circa mouendū ualet. Notabis tamē cum his uerbis, loco, cōduco, mādo, curo, habeo, suscipio, deposco, puto, duco, existimo, censeo, dico, uideo, intelligo, arbitror, do, trado, propono, & similibus, gerundia, adiectiua non determinari ab his præpositionibus. Vt locaui faciendam sepulturam, patris gloriam tuendā conseruandamq; suscepit, curauit hominem interficiendum, homines ui rapiēdos conser uandosq; mandauit, A tergo uerò si actionem significet,

ficet, exigit casum uerbi à quo descendit: si paßionem, nullum, ut carmen difficile ad intelligendum, nõ dices ab scholasticis. Notabis, quando determinatur ab Inter, & Ante, non solere casum regere, ut inter cœnandum, ante cœnandum. Aliquando tamẽ regit, licet raró. Liuius lib. 2. Titius Herminius inter spoliandum corpus hostis percußus. A uerbis actiuis actionem significat frequentiùs, aliquãdo paßionem. Sallustius in Iugurtha, Pauca ut supra repetã, quò ad cognoscendum omnia illustria magis, magisq; in aperto sint. A uerbis neutris tertiæ & quartæ classis, paßionem, à reliquis actionem, à deponentibus actionem, à communibus actionem & paßionẽ. Hoc eodem pacto ferè debes percurrere omnes casus gerundiorum, quantùm attinet ad significationẽ, quod nos breuitati consulentes aliquando dißimulamus.

De gerundio ablatiui.

Gerundium ablatiui finitur in, do, & fit ex neutra terminatione eiusdem participij in, dus. A fronte nullum casum regit, sed determinatur à uerbis, aut participijs, aut nominibus, medijs his præpositionibus, A, Ab, In, De, E, Ex. Quibus adde, Pro, & Cum. De sex primis præpositionibus adeò obuia sunt exempla, ut in his citandis nimiùm morari, hominis sit nimiùm otiosi, & in re parua diligentiam affectãtis. De duabus postremis, quia raræ sunt, authoritates in mediũ proferamus. Plautus in Aulularia. Pro uapulãdo hercle ego mercedem petam. Quintilianus lib. 1. Ratio rectè scribẽdi iuncta cum loquendo est.

Duo

Duo tamen hic notabis, in primis gerundium hoc ablatiui non posse determinari à uerbo significanti motũ explicitum. Non enim dices, uenio ab orãdo, sed ab oratione potiùs: non redeo à spectando, sed ab spectatione, non reuertor ab arando, sed ab aratione. Si tamen uerbum illud nõ motum explicitum, sed motionem quandam animi internam significet, nõ dubito ab eo determinari posse. Quã præceptionem quàm plurimis authoritatibus firmare placuit, ne Grammaticus aliquis tetrici nimiùm supercilij eam studeat labefactare. Cicero lib. 2. de Oratore, Ipse à discendo refugisti. Idẽ lib, 3. Pythagoras, Democritus, Anaxagoras à regendis ciuitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerũt. Idem in Bruto, Stoici traducti à disputando ad dicendum inopes reperiuntur. Idẽ in Verrem, Non uideor omnino à defendendis hominibus subleuandisq; discedere. Vbi quis negabit, in uerbis refugio, transfero, traduco, discedo speciẽ quandã motus interni repræsentari, atq; ab illis gerundium ablatiui casus determinari?

Notabis deinde, in huiusmodi determinatione aliquando non posse præpositionẽ intercedere. Tum primò quando determinatur à uerbis sua natura regentibus ablatiuũ sine præpositione, ut delector legendo, non in legendo. Tum secundò, quando gerundium denotat instrumentum aliquod, ut hos accusando, illos occidẽdo totã ciuitatẽ labefactasti. Tum tertio, quando gerundiũ significat passionem. Vergili. Georgi. 3. Vritq; uidẽdo fœmina, id est, dũ aut cùm uidetur. Quintilianus lib. 11. cap. 2. Sed memoria ex

colendo,

colẽdo, sicut alia omnia, augetur, id est, dũ excolitur.

A tergo uerò si passiuè capiatur, nullum regit casum, si uerò capiatur actiuè, regit casum sui uerbi. Quod intellectum uolo, quãdo præpositionibus illis, In, De, E, Ex, A, Ab, Cũ, Pro, nõ adhæret, nã si ab illis determinetur, ex frequentiori authorum usu absolutè ponitur in oratione, aut loquemur per gerũdium adiectiuum. Nõ enim qui optimè ac Latinè locuti sunt, huiusmodi loquendi formis utuntur. Vaco ab scribendo epistolas, in iuuando homines multum operæ posui. Sed aut absolutè, aut per adiectiuũ sic Vaco ab scribendo; aut uaco ab scribendis epistolis, itẽ in iuuandis hominibus multum operæ posui. Obseruaui tamen tria aut quatuor exempla, in quibus gerundium cum præpositione casum regit, quæ legẽ Latinitatis facere non debent. Cicero lib. 6. ad atticum, In quibus interscripseras de relinquendo ea, quæ me impugnabant. Idem lib. 3. Tuscula. Inuidiæ uerbum dictum est à nimis intuendo fortunam alterius. Varro lib. 3. rerum rusticarum, In supponẽdo oua, obseruant, ut sint numero imparia. Liuius libr. 30. Eadem hæc Syphaci animũ dederunt in alloquẽdo uictorem. Quæres, de significatione. A uerbis actiuis significat actionẽ, aliquando passionẽ. Vergi. Georgi. 3. Alitur uitium, uiuitq; tegendo, id est, dum tegitur. A neutris tertiæ & quartę passionẽ, à reliquis actionem. A deponentibus & cõmunibus actionem & passionem. Vergil. AEneid. 12. Aegrescitq; medendo. id est, dum illi medicamenta adhibentur.

De gerundijs adiectiuis.

Gerundia

Gerundia adiectiua non ideò adiectiua dicta sunt quòd qualitatem aliquam alicui adiacentem significent, sed quia cum substantiuis in genere, numero, & casu concordant. Quę gerundiua à Grammaticis appellantur, ut distinguantur à substantiuis, quæ gerundiorum nomen acceperunt. Finiũtur in, dus, da dum. Reperiunturq́; in omnibus casibus, numeris, & generibus. Nominatiuo, ut uoluenda dies: genitiuo, ut iuris dicundi cura tenet me: datiuo, do operam iuri dicundo: accusatiuo, ueni ad ius dicundũ: uocatiuo, ô dies uoluenda, ablatiuo, delector iure dicũdo. Gerundium hoc semper significat passionem, unde fit, ut à uerbis passiuis solùm, & cõmunibus passiuæ significationis oriatur, & aliquando etiã à deponẽtibus tertiæ classis. Quintus Curti⁹. Misit caduceatorem ad consolandas eas. Inde etiam fit, ut cũ nullo casu construatur, sed solùm cum substantiuis concordet, quia, ut à me sæpissimè proclamatũ est, gerundia in significatione paßiua nullum regunt casum.

De differentia inter gerundium adiectiuũ & participium futuri in, dus.

Licet gerundia hæc adiectiua conueniant in uoce cum participijs in, dus, differũt tamen ab illis tripliciter. In primis significatione, nam gerundia significãt rei administrationẽ sine nota futuri tẽporis, ut cura legendæ lectionis tenet me, participia uerò tẽpus futurum important sine aliqua administratione, ut lectio est legenda. Differunt deinde constructione, nã gerundia cum nullo casu cõstruuntur, sed cum

cum suis substantiuis tātùm concordāt, at uerò participia cum ablatiuo cōstruūtur loco personæ agentis, ut lectio est à me legenda. Differūt postremò resolutione, nā gerūdia nominatiui per quis & uerbū resoluuntur: uel per nomen uerbale in bilis, ut uoluēda dies, id est, quæ uoluitur, uel uolubilis. Reliqui casus gerūdiorū resoluuntur in sua substantiua: ut mox præcipiemus. At uerò participia resoluuntur per futurum imperfectum uocis passiuæ, ut causa est à me oranda. id est, orabitur.

De conuersione gerundij substantiui in adiectiuum, & è conuerso.

Illud in primis pro certo habeas, nullā orationē conuerti posse ex gerundio substantiuo in adiectiuum, nisi adsit accusatiuus: qui si adsit, fiet cōuersio in hunc modum. Accusatiuus conuertetur in casum gerundij substantiui, deinde gerundium substantiuū conuertetur in adiectiuum in eodem casu. Cōfirmemus id exemplis per omnes casus. De genitiuo, cura legendi lectionē tenet me, cura lectionis legendæ tenet me. De datiuo, do operā legēdo lectionē, do operā lectioni legēdę. De accusatiuo, ueni ad legēdū lectionē, ueni ad lectionē legendā. De ablatiuo, delector legēdo lectionē, delector lectione legenda. De nominatiuo mētionem nō feci, quia oratio quę per nominatiuum fit, conuerti non solet. Ex adiectiuo in substantiuum fit conuersio in hunc modum, Genitiuus siue quicunque alius casus in accusatiuum conuertētur, adiectiuum in substantiuum in casu gerundij. Si uerò sit nomen uerbale, resoluitur

per hoc nomen dignus & infinitiuum uocis paſsiuæ ut magiſter colendus, id eſt, coli dignus, puer amandus, id eſt, amari dignus. Ne *aliquid prætermittamus, quod ad rectã puerorũ inſtitutionẽ in re Grãmatica uideatur neceſſariũ, notet puer, quatuor modis orationem ex gerundio ſubſtantiuo in adiectiuũ conuerti non poſſe.* Primò, *quando accuſatiuus non adeſt ut cura ſeruiendi* Deo *tenet me.* Secũdò, *quãdo ſignificat paßionem, ut cantando rũpitur anguis* Tertiò, *quando accuſatiuus eſt nominis relatiui, ut hic dies attulit initium dicendi, quæ uellẽ: nõ dices dicendorum eorum, quæ uellem.* Quartò, *quando accuſatiuus eſt nominum primæ aut ſecũdæ declinationis: tunc enim ineleganter conuerteretur oratio in adiectiuum, ut tempus eſt quærendi bonos libros, nõ quærendorum bonorum librorum.* Item *tempus eſt inueſtigandi bonas muſas, non, inueſtigandarum bonarũ muſarum.*

De ſupinis.

Poſt *gerundia occurrit ſtatim de ſupinis diſputatio, quæ cur ſic appellata ſint, nondum perſpicuum eſt, neq; nimis neceſſarium puto, cùm multi* Grammaticorum *miſere in hac re inſudarint ad ineptias uſq; & uaniſsimas nugas.* Alij *dicta uolunt quaſi ſuprema, quòd in cõiugatione poſtrema ſint, nam participia, quæ mox ſequuntur, non inter nomina, ſed inter uerba recẽſenda ſunt.* Alij *ſupina quaſi ſuperantia dicta uolunt, quòd naturam uerbi ſuperent, cùm uerbum per modos & tempora inflectatur, ſupinum ſine modis & temporibus.* Alij *ſupina quaſi reſu*

resupina dicta existimat, id est contraria quia prius supinum prorsus euertit naturā posterioris tum determinatione, tum significatione, tum postremò constructione Tu elige quam malueris nam mihi omnes prædictæ Etymologiæ *prorsus displicēt. Vtrum autem inter octo partes orationis numerari debeant, an diuersam ab alijs octo partem cōstituere, cōtrouersum fuit a ueteribus* Grāmaticis. *Nos tamen cum* Nebrissensi *diuersam eße partem affirmamus à reliquis, quæ tamen inter uerba numeretur, quia maximam cum eis habet similitudinem. Potest autem in hunc modum definiri.*

Quid sit supinum.

Supinum est pars orationis indeclinabilis in, um, aut in, u, desinens: gerensq; significationem & nō nunquam constructionem uerbi à quo descendit. Indeclinabilis: ut differat à quatuor declinabilibus. In, um aut in, u, desinens, ut distet à reliquis indeclinabilibus, & à gerundijs etiā, quæ diuersam ab hac desinentiam sortiuntur. Gerens significationē & non nunquam constructionem, nam cùm significat actionem, gerit constructionem uerbi, à quo descendit, cùm paßiuè capitur, cum nullo casu cōstruitur. Nō enim dixeris Latinè, *uenio uapulatum à præceptore, sed ut uapulem, aut uapulaturus à præceptore.* Ex *definitione colligitur duplex supinum. Prius quod terminatur in, tum, ut amatum, sum, ut uisum, xum, ut amplexum. Posterius, quod finitur in, tu, ut amatu, su, ut uisu, xu, ut amplexu.*

De priori Supino.

Tria potissimum de priori supino explicabimus unde determinetur, quid a tergo regat, quid significet. Prius supinum à fronte non regit casum, sed uult determinari à uerbis significantibus motum, siue explicitum, siue implicitum. De explicito, ut eo uenatum: de implicito ut do filiã nuptum. Determinatur etiã à participijs ab his uerbis descendentibus. Horatius in Arte Poetica. Spectatum admissi risum teneatis amici? Motus explicitus est, qui fit motione corporis de loco in locum: implicitus uerò qui mutatione propositi, & uoluntatis cõuersione ad rem aliquam fieri solet. Ex hac determinatione colliges differentiam inter prius supinum & gerundium accusatiui casus, nã prius supinum semper determinatur à uerbo significanti motũ: at uerò accusatiui gerũdium determinatur à uerbis motus, ut eo ad legendum, aut quietis, ut sedeo ad audiendum. Vnde fit, ut omnis oratio per prius supinum constituta conuerti poßit in gerundium accusatiui, nõ contrà. Inde etiã fit, ut prioris supini oratio per uarias partes orationis, aut dicendi formas uariari possit: quod in sequenti oratione patebit, Eo petitum ueniã eo ad petendum ueniam, eo ad petendã ueniam, eo petiturus ueniam, eo ut petam ueniam: eo petere ueniã Græcorum more, eo gratia petendi ueniam, eo gratia petendæ ueniæ.

A tergo si actionem significet, regit sui uerbi casum, ut eo Deo seruitũ: si paßionem, nullũ recipit casum, ut eo uapulatum. A uerbis omnibus significat actionem: à neutris tertiæ & quartæ, paßionem.

De

De posteriori supino.

Eo ordine procedemus in posteriori supino, quo in priori. A fronte non regit casum, sed determinatur à nominibus adiectiuis, cum quibus in re nulla cõuenit, ut res horrenda dictu, res miserabilis uisu. Itẽ determinatur ab adiectiuis, quæ fiunt substantiua in neutra terminatione, ut horrendum dictu, miserabile uisu. Item à tribus nominibus fas, nefas, opus: ut fas dictu, nefas dictu, opus siue peropus dictu. A uerbis autem motum significantibus determinari nõ uult, neq; enim Latinè dixeris, uenio lectu, sed de lectione. uenio uenatu, sed de uenatione. A tergo nullum casum regit, sed semper ponitur absolutè: neq; enim dixeris, puer dignus flagellatu à præceptore, sed aut per subiunctiuum, ut flagelletur à præceptore, aut per infinitiuum uocis passiuæ, flagellari. Cuius ratio est, quia perpetuò significat passionem, in quia significatione supina non habent de more casum regere. Vnde fit, ut à uerbis tãtùm passiuis, & communibus oriatur: & aliquando à uerbis etiam deponẽtibus tertiæ classis, quæ olim communia fuerunt.

De resolutione.

Resoluitur autem posterius supinum tripliciter. Aut per indicatiuum cum his particulis, dum, cùm, quando: ut monstrum horrendum uisu, id est, dũ uidetur, cùm, uel quãdo uidetur. Aut per subiunctiuũ cum, ut, ut uir dignus celebratu, hoc est ut celebretur. Aut per infinitiuum uocis passiuæ: in eodem exemplo, dignus celebratu, id est, celebrari.

Differētia posterioris supini, à nomine verbali quartæ declinationis.

Posterius supinum & ablatiuus uerbalis quartę declinationis in uoce conueniunt: differunt tamē multis ac uarijs modis. Sit *prima differētia, Gubernatu quando est nomen, uariatur per casus, quando supinum minimè.* Sit. 2. *Quādo est nomē significat actionem, quando supinum, paßionem.* Sit. 3. *Quando nomen, regit genitiuū, ut dignus gubernatu* Rei*publicæ, quādo supinum nullum casum regit.* Sit. 4. *Quando nomen recipit consortium adiectiui, ut dignus magno gubernatu, quando supinum non adhæret adiectiuis.* Sit. 5. *Quando nomen recipit præpositionem, ut receßit ex gubernatu; quando supinum similem præpositionem admittere nō potest.* Sit. 6. *Quando nomē exponitur per aliud nomē, ut dignus gubernatu, id est gubernatione quando supinū per uerbum, ut gubernetur.* Sit *septima, Quando nomē regitur à uerbo, ut orbatus est gubernatu* Reipu*blicæ, quando supinum à simili uerbo regi non potest.*

De participijs.

Post supina sequitur participiorū tractatio, quæ ideò participia dicta sunt, quòd partem à nomine accipiāt, partem à uerbo, ut mox patebit in definitione. Solent autem dupliciter considerari, aut quatenus nomina adiectiua sunt, aut quatenus participia. Quaten⁹ adiectiua, cū substātiuis more adiectiuorū cōueniūt in genere, numero, casu, et de his nō est sermo in præsentia. Quatenus autē à uerbo deriuātur

eiusdemq́; significationem & cõstructionem habent, quod est participijs proprium, futura est disputatio. Exponemus igitur quidnam sit participium, quotu plex sit, quot modis in naturam nominum transeat, ac postremò quot de causis adinuentum fuerit.

Quid sit participium.

Participium est pars orationis, declinabilis, per casus, cum tempore, quæ pro uerbo accipitur, à quo deriuatur, genus & casus habens ad similitudinẽ no minis, & accidentia uerbi sine discretione modorũ & personarũ: Hæc definitio multis cõstat partibus, quæ nostra interpretatione uidentur plurimùm indigere. Est pars orationis, ut differat à litera & syl laba, nam litera est pars syllabæ, syllaba dictionis, participium uerò orationis. Declinabilis: ut distet, à quatuor partibus orationis indeclinabilibus. Per ca sus: ut à uerbo discrepet, quod nõ per casus, sed per modos, & tempora inclinatur. Cum tẽpore: ut differat à gerundio, nomine item & pronomine, quæ nullam differentiam temporis importãt, cùm parti cipium ad tres tẽporum differẽtias referatur, præ sentis, ut amans, præteriti, ut amatus, futuri, ut ama turus, amandus. Sub quibus ad alia etiam tempora referũtur, nam præsens fungitur præsentis & pręteriti imperfecti munere, præteritum perfectũ supplet etiam uices plusquam perfecti. Erunt igitur uoce tria tempora, significatione quinque. Quæ pro uerbo accipitur, à quo deriuatur: nam participium & uerbum substantiuum poni solent pro uerbo, à quo participium originem trahit, ut sum amans,

pro amo, ſum legens, pro lego. Et aliquando etiam participium ſine uerbi ſubſtantiui conſortio, ut his peroratis finem feci dicēdi, id eſt, poſtquàm hæc perorata ſunt. Notabis etiā dictum fuiſſe, quæ pro uerbo accipitur, à quo deriuatur, quia participium, ſi participij naturam retinere debeat, ſemper à uerbo debet deriuari. Vnde reperies multa nomina adiectiua, quæ formā quidem habent participiorū, cæterùm quia à uerbo non deriuantur, nō inter participia, ſed inter nomina numeranda ſunt: qualia ſunt galeatus, petaſatus, ceritus, tunicatus, togatus, palliatus, umbellatus, ſericatus, ocreatus, prægnans, lætus, cretus, præditus, & ſimilia. Genus & caſus habens ad ſimilitudinem nominis: quia participium, quemadmodum & nomen, quatuor habet genera, maſculinum, ut amatus, fœmininum, ut amata, neutrum, ut amatum, commune trium, ut amans: item etiam ſuos ſeptem caſus habet more nominū. Et accidentia uerbi ſine diſcretione modorum, & perſonarum, quia participium, quemadmodum & uerbum, tria habet tempora, præſens, præteritum, futurum: duas item ſignificationes actiuam & paſsiuam, ſuam item conſtructionem: ſed modis explicitis, & certis perſonis non conſtat. Modò apertè intelliges, dictū fuiſſe participium, quòd nominis & uerbi naturam participet, nam à nomine genera quatuor, caſus ſeptem, cum tribus declinationibus mutuò accipit: à uerbo tempora tria, ſignificationes duas cum conſtructione ſortitur, ab utroque figuram, & numerum. Nam quēadmodum in nomine figura duplex eſt, ſimplex

& cõposita, numerus duplex, singularis & pluralis: idem contingit in uerbo, idem etiã in participio.

Quotuplex sit.

Duplicia sunt participia, quædam actiuæ uocis, quædam passiuæ. Actiuæ duo, præsentis & futuri in, rus, ut amans, amaturus. Passiuæ duo, præteriti & futuri in, dus, ut amatus, amandus. De quibus priusquam suo ordine dicamus, non erit à re præsenti alienum explicare quo pacto à singulis uerborum generibus oriantur participia. A uerbo actiuo duo participia trahuntur, præsentis & futuri in rus, ut amans, amaturus. A passiuo duo, præteriti & futuri in, dus, ut amatus, amandus. A neutro duo præsentis & futuri in rus, ut seruiens, seruiturus. A uerbis tamen neutropassiuis nascitur & participium præteriti, ut à gaudeo, gaudens, gauisus, gauisurus, ab audeo, audens, ausus, ausurus, à careo quatuor oriuntur, carẽs, casus, cariturus, carendus. A deponenti tria, præsentis, præteriti, futuri in, rus, ut recordans, recordatus, recordaturus, si uerò sit tertiæ claßis, quatuor, sequens, secutus, secuturus, sequendus, consolans, consolatus, consolaturus, consolandus. A communi quatuor secundum formam quidem actiuam præsentis & futuri in, rus, ut criminans, criminaturus, secundũ passiuam autem formam præteriti & futuri in, dus, ut criminatus, criminandus. Ab impersonali uerò participia, nisi usurpata fuerint, non ueniunt, ut à pœnitet, pœnitẽs, & pœnitendus. Hoc fundamento iacto, agamus de singulis.

De participio præsentis.

Participiũ præsentis duas habet terminationes, ans, uerborum primæ coniugationis, ut amans: ens, aliarum coniugationum, ut docens, legens, audiens. A uerbis actiuis significat actionem, exceptis paucis, quæ Græcorum more passiuè capiũtur, ea sunt: uoluens, uolutans, quassans, præcipitans, tondens, euidẽs, pro eo, quod uoluitur, uolutatur, quassatur, præcipitatur, tondetur, perspicuum atque perspectum est. A uerbis neutris primæ, secundæ, & quintæ classis significat actionem, ut carens, seruiens, currens. A neutris tertiæ & quartæ, paßionem, ut ardens, uapulans. A deponentibus & communibus actionem, ut consolans, criminans, nisi sit à deponentibus sextæ, à quibus, quoniã ea uerba passiua sunt, passionem significat, ut oriens, nascens.

Ante se nullum regit casum, sed more adiectiuorum cum substantiuis cõcordat: à tergo regit casum uerbi, a quo descendit, ut colens Deum. Solet autem exponi uarijs modis: aut per nomen relatiuum & suum uerbum, ut ego sum colens Deum, id est, qui colo Deum. Aut per gerundium ablatiui, ut benefaciens gaudeo, id est benefaciendo. Aut per has particulas, cùm, dum, si, quia: ut me præsente non ausus es peccare, id est, cùm uel dùm ego præsens essem. Item uiuente patre tantam peccatorum labem non contraxisses, id est, si pater uiueret. Item sole lucente dies est, id est, quia sol lucet.

Duo tamen supersunt obseruatione digna. Alterum, participium præsentis poni pro participio præteriti. Cicero in Bruto, Cùm à Sicilia discedens,

Rhodum uenissem: hic discedens pro profectus ponitur, quod participium præteriti est. Hoc solùm licet cùm participium præteriti deest, secus autē non permittitur, ut cùm è Sicilia proficiscens Rhodum uenissem: dicēdum, Cùm è Sicilia profectus Rhodum uenissem. Alterum sit, participia uidelicet præsentis temporis substantiua, si pro certo accipiātur substantiuo, illius esse generis, cuius & substantiuū, si pro incerto, ad neutrū genus transire. verbigratia, cùm dicitur oriens & occidens, intelligitur sol: cùm fluens & cōfluens, fluuius: ideò masculina sunt. Sicut cùm dicitur consonans, intelligitur litera: dum continens, terra: dum lactans, fœmella: ideò sunt fœminina. Animans autem, si subaudiatur natura, fœmininum est: sin absolutè ponatur, neutrum, unde animantia. Sic antecedens & consequens, si ponātur absolutè, neutra sunt: si pro certa aliqua propositione, fœminina: & sic qui propositæ argumētationi respondet, dicere deberet, nego antecedētem aut consequentem, propositionem scilicet.

De participio præteriti.

Participiū præteriti tres habet terminationes, in tus, ut amatus: in, sus, ut uisus: in, xus, ut complexus. Quod cùm à supino formetur addita, S, fit, ut uerbum carens supinis, careat etiā participio præteriti: & habens duplex supinum, habeat etiam duplex participium, ut tentum uel tensum, tentus uel tensus. A uerbis pasiuis significat pasionem, ut doctus, amatus. Exceptis quibusdam quæ actionem significant, argutus, cautus, circunspectus, cœnatus,

potus, consideratus, falsus, profusus, scitus, sparsus, tacitus, & similia. A neutris raro descendunt, & actionē significant, ut solitus, fluxus placitus, aliquando passionem, ut gauisus. A deponentibus actionem, ut recordatus, misertus, exceptis uerbis tertiæ classis, quæ passionem aliquando significant. Nam cum deponentia omnia fuerint olim communia, aliqua participia præteriti remanserunt passionem significantia. Quale illud Terentij. Meditata mihi sunt omnia mea incōmoda. Illud etiam Ciceronis ad Atticum lib. 1. Si uerò quæ de me pacta sunt seruātur. Illud itē eiusdem 15. Familiarium, Patrem mortuum habebamus, alij latronibus, alij à cruditate dicebāt. A communibus actionem & passionem, ut criminatus.

Ante se nullum casum regit, sed cum substantiuo concordat, post se uerò casum uerbi, ut Deus est à me uel mihi dilectus. Exponitur per relatiuum & suum uerbum, ut doctus te docebit, id est, qui doctus est. Aliquando per postquàm, ut perlecta lectione id faciam libens, id est, postquàm perlegero lectionem. Notabis ultimò in ablatiuo & accusatiuo participium præteriti solere poni pro infinitiuo, ut oratos uos uelim, id est orauisse, opus est cōsulto, id est, consulere, seu consuluisse.

De participio futuri in, rus.

Participium futuri in, rus, formatur à posteriori supino addita, rus. Atque inde fit, ut uerba quę carent supino, careant etiam participio futuri in, rus, ea uerò quæ duplex habent supinum, duplex etiam

futu-

futurum habent, ut tenturus, uel tensurus. Sunt tamen multa uerba, quæ cum habeant supinum, carent nihilominùs eo participio, ut à nosco notum, non noturus, à pando pansum, non pansurus, à cano cantū, non canturus, à neco nectum, non necturus, & sic de similibus. Ab omnibus uerbis actionē significat, nisi sit à neutris tertiæ & quartæ classis, ut arsurus, uapulaturus.

Ante se nullum casum regit, post se uerò regit casum uerbi à quo descendit, ut sum amaturus Deum. Exponi solet per relatiuum, & futurum sui uerbi, ut ego lecturus libros uoluo, id est, qui legam, uel legere saltem debeam.

De participio futuri in dus.

Participium in dus, a quibuscunque uerbis significat passionem, ut amandus, criminandus, consolandus. A fronte nullum casum regit, à tergo casum sui uerbi, ut magister est à discipulis colendus. Elegantiùs tamen datiuum, quàm ablatiuum regit, ut præter cæteros magister mihi potißimùm colendus. Exponitur per futurum passiuum & relatiuum, ut uideo puerum à me amandum, id est, qui à me amabitur.

Quot modis participium fiat nomen.

Quinque modis participia fieri solent nomina. Amissione temporis, ut amans pro amatore, beatus pro diuite, amandus pro digno amari. Amissione cō structionis, cùm casum sui uerbi relinquunt, atque alienum assumunt, quod in uerbis actiuis frequentiùs fieri uidemus, ut amans uxoris, nomen est,

amans

amans uxorem, participium: fugitans litium nomen est. fugitans lites, participium est. Amißione significationis, cùm à sui uerbi significatu degenerat: ut diligens non pro eo qui diligit, sed pro eo qui solers est. Compositione, quoties componuntur cum præpositione, cum qua suum uerbum cõponi nõ potest, ut innocens, non est innoceo: indoctus, non est indoceo. Comparatione, cùm ex se formant comparatiua aut superlatiua: ut amãtior uxoris notißimus omnibus. Quæres, quare participia fiant nomina, cùm ex seipsis formant comparatiua aut superlatiua? Respondeo, ideò esse, quia cùm participia à tergo regant casum uerbi unde descendunt, si post formata comparatiua aut superlatiua manerent participia, iam comparatiua & superlatiua accusatiuum regerent, quod est contra comparatiui & superlatiui nominis naturam. Quæres ulterius, Vtrùm omnia participia formare poßint comparatiua & superlatiua? Respõdeo, à participijs præsentis & præteriti formari posse, à participijs uerò utriusq; futuri minimè: non enim à colendus formabis colendißimus, neque à reuerendus reuerendißimus: sed admodum, aut perquàm colendus, admodum aut perquàm reuerendus. Quæres adhuc ulteriùs, Vtrùm participia futuri in rus, & in dus, poßint in nominina transire? Respondeo, utrũque participium posse nominis naturam induere: nam participium in, rus, fit nomen, quando non tempus, sed hominis qualitatem, atque animi uoluntatem & propensionẽ significat. Quintilianus. 11. lib. cap. 2. Neque omnino huius

fuæ rei meminit usquam Poeta ipse, profectò nõ tacl turus de tanta sua gloria: id est, talis ingenij & naturę, ut non taceret. Itẽ in hoc uulgato exemplo, Cõtulit mihi amicus quantum potuit beneficiorũ, plus collaturus si potuisset, id est eo ingenio, & tanta ad benefaciendum propensione, ut plus conferret, si posset. Participium item in, dus, nomen fit, quando exponitur per dignus, ut puer amãdus, id est, dignus amari.

Quot de causis inuenta fuerint participia.

Laurentius Valla li. 1. Elegant. ca. 32. tradit tribus de causis inuenta fuisse. Breuitatis & elegantiæ gratia, breuiùs enim & elegãtiùs loquimur per participium, quàm per aliam orationis partem, ut magistrum legentem attentè audio, quàm magistrũ qui legit. Postremò necessitatis gratia, ut in huiusmodi locutionibus, Circundedimus castris fossam & uallum, ne hostes uenire possint & nos opprimere: quasi fossa & uallum ideò fiant, aut hoc præstare queant, ne hostes uenire possint. Item mulieres ornant se, ne homines uideant, & irrideant, quasi mulieres ideò seipsas ornent, ne ab hominibus uideantur. Loquendum itaque necessariò est, ex sententia Laurentij per participium in hunc modum, Circundedimus castris fossam & uallum, ne uenientes hostes, aut ne aggressi hostes, nos opprimant. Itẽ mulieres ornat se, ne homines uidentes irrideant, aut ne uisæ ab hominibus irrideantur. In hoc tamen postremo, Laurentio non assentior, nam licèt uenu-

stiùs

ſtiùs per participium loquamur, non tamen neceſſe riò. Poſſent enim hæ orationes fieri per circunloquium Circundedimus caſtris foſſam & uallum ne hoſtes qui ueniant, nos opprimant. Mulieres ornāt ſe, ne homines, qui uideant, irrideant.

De nominum conſtructione.

Poſtquàm Nebriſſenſis egit de uerborum, gerundiorum, ſupinorum, participiorumq; conſtructione, incipit iam ab hoc loco diſſerere de nominum, aliarumq; partium orationis Syntaxi. Nomina igitur duplicia ſunt, aut ſubſtantiua, aut adiectiua: itē ſubſtantiua aut propria aut appellatiua. Propria nullum poſt ſe caſum regunt, quem ſi fortè regere uideantur, non a nomine proprio, ſed ab appellatiuo ſubintellecto depēdet, ut Aiax Oilei, ſubaudi filius Deiphobe Glauci, ſubintellige filia. Appellatiua uerò genitiuum frequentius ſolent expoſcere: qui aut actiuus eſt, ut prouidentia Dei, qua prouidet: aut paſsiuus, ut timor Dei, quo timetur: aut dubius, ut amor Dei, quo homines amat, aut ab hominibus amatur: aut poſſeſſiuus, ut regnum Dei, quod poſsidet: aut materiæ, ut ſubucula lini, annulus auri: aut ualoris, ut Vergilius decem argenteorum, qui decē argenteos nummos ualet, aut alio quouis modo. Verùm de huiuſmodi regimine non eſt ſermo in præſentia, de quo ſuo loco ſatis fuſè & copioſe diſputatum eſt: ſed de nominibus adiectiuis, quæ ex ſermonis Latini proprietate genitiuum regunt, aut alium quemuis caſum. Adiectiuorum igitur duplex eſt partitio, alia ſimplicem caſum regunt: alia duplicem:

Quæ

Quæ simplicem: alia genitiuum, alia datiuum, alia accusatiuum, alia postremò ablatiuum. De quibus ut suo ordine agamus, res ipsa suo iure uidetur exigere.

De adiectiuis regentibus genitiuum.

Adiectiua quæ solùm genitiuum regunt, quincuplicia sunt. Prima, Quæ sunt certæ cuiusdā significationis, sed illa præcipuè, quæ habitum, siue priuationem rei alicuius significant. Vt integer uitæ, sceleris purus, præceps animi, prodigus uitæ, dubius itineris tenax propositi, cupidus honoris: quibus tu etiam adde certus, memor, compos, rudis, particeps, parcus, inops, conscius, ambitiosus, fertilis, & alia similia, quæ ex assidua lectione facilè cōstabunt. Secunda, Participia præsentis & præteriti temporis cùm fiunt nomina, ut patiens laboris, negligens amicorū, doctus Grāmaticæ, expertus belli. Quæ uerò sunt futuri in, rus, aut, dus, et si transeant in nomina genitiuum non regunt: sed quæ in, rus, accusatiuum ut hæc mihi tātùm tabellarius narrauit, non prætermissurus cætera, siquid haberēt certi: quæ in, dus, datiuū, ut puer mihi amandus, id est, dignus à me amari. Tertia, Superlatiua: ut Achilles Græcorū fortissimus, de quorū cōstructione dicemus suo loco. Quarta, Cōparatiua partitiua, quādo scilicet inter duos fit cōparatio, ut manuū dextera est fortior: de qua etiā in cōparatiuis fiet mētio. Quinta, Nomina uerbalia in, or, quæ formantur à posteriore supino: u, in or, ut à doctu doctor: & fœminina terminata in: trix quę formantur à masculinis, tor, in: trix ut à doctor

ctor doctrix, quæ omnia genitiuum postulant, ut doctor ueritatis, cultor sapientiæ expultrix uitiorum actrix causarũ. Notabis uerbalia in or. quæ masculina sunt, reperiri aliquando generis neutrius ut tempus est rerum omnium repertor. Item actionem significare, pręter uector, quod tam passiue quàm actiue capitur. Passiue, Cicero. 7. Philippica. Summi gubernatores in magnis tempestatibus à uectoribus admoneri solent. Actiue, Ouidius. 1. Fastorum, Ecce rudens rauco Sileni uector asellus, Intempestiuos edidit ore sonos. Illud etiam obseruatione dignũ est, terminata in, trix, quæ fœminina sunt, adiectiuorum uim assumere aliquando. Lucanus lib. 1. Tollite iampridem, uictricia tollite signa. Itē formari aliquando irregulariter, ut ab expulsor expultrix, ab assessor aßetrix, à tonsor tonstrix, à nutritor nutrix, & sic de alijs idgenus.

De regentibus datiuum.

Quæ regunt datiuum, triplicia sunt. Nomina primùm significantia commodum, beneuolentiam, aut animi erga alios facilitatem, cum contrarijs, ut commodus, incommodus, utilis, inutilis, beneuolus, gratus, ingratus, charus, notus, iocundus, facilis, difficilis. Item significantia æqualitatem, uel animum ad rem aliquam aptum, ut par, impar, æqualis, inæqualis, aptus, ineptus. Postremò finita in bilis, ut amabilis cunctis. Quæ formantur in uerbis primæ, tertiæ & quartæ coniugationis, à secunda persona indicatiui. S. in, bilis aut ab amas amabilis, à credis credibilis, à scis scibilis, in uerbis autem secūdæ. E. in. I.

muta

mutatur, ut à terres terribilis, à doces docibilis. Quòd si secunda illa persona non fuerit, fingēda est ut à lamentas lamentabilis: quædam tamen ex his ab ultimo supino formantur, ut contemptibilis, uisibilis sensibilis. Hæc nomina passionem significant, terribilis tamen & affabilis actionem, ut terribilis homo, affabilis uir. Duo actionem & passionem, horribilis & penetrabilis: ut horribile nemus, horribilis puer, sagitta penetrabilis, lignum penetrabile. Quę actionē significant, exponuntur per relatiuum & præsens indicatiui, ut terribilis homo, qui terret. Quæ passionem, uariè exponuntur: aut per relatiuum & præsens uocis passiuæ ut uisibilis nulli, qui à nullo uidetur. Aut per relatiuum, & uerba possum, mereor, aut nomen dignus cū infinitiuo passiuo: ut amabilis cūctis, qui potest, meretur, aut dignus est amari à cunctis.

De regentibus accusatiuum.

Nomina adiectiua dupliciter accusatiuum regere possunt. figuratè, aut citra figuram. Figuratè, quādo id quod est partis, atribuitur toti per Sinecdochen, & pars ponitur in accusatiuo, ut niger oculos, horridus barbam. Citra figuram triplicia adiectiua accusatiuum regunt. Nomina primùm uerbalia in, bundus, ut populabundus agros, uitabūdus castra hostium. Quæ exponuntur aut per uerba frequentatiua, aut per sua uerba cum aduerbio ualde, ut ludibundus id est, lusitans, uel ualde ludens, errabundus, id est, erritans. uel ualde errans. Tum nomina distantiæ, uel mensuræ, ut Gymnasium longum

centum pedes, latum octo pedes: item puteus profundus quinquaginta ulnas. Quem casum regunt etiam sua comparatiua, & superlatiua: ut hoc gymnasium altero longius est uiginti passus, item latissimũ quinquaginta passus. Postremò ex elegantia & proprietate sermonis Latini adiectiua regunt accusatiuum, in his locutionibus, Ego sum Latinæ linguæ peritus, cætera ignarus, item alia id genus.

De regentibus ablatiuum.

Alia sunt quæ regunt ablatiuum aut media præpositione, aut sine ea. Triplicia regunt ablatiuũ cũ præpositione: nomina diuersitatis, ut alienus à uitijs diuersus à tuis moribus, alius ab humanitate. Ordinalia, & cardinalia, ut secundus à Rege, tertius à Ioue, unus ex fratribus: item oriundus, ut oriundus ex Africa. Alia sine præpositione, ea potissimùm quæ excellentiã significant, habitũ siue priuationẽ, siue instrumentũ: ut insignis, excellens: clarus, præditus, lætus. Quibus adduntur cõparatiua, ut nemo est eloquentior Cicerone.

De regentibus duplicem casum.

Quædã regunt genitiuum uel datiuum. Ea sunt adiectiua similitudinis uel dissimilitudinis, ut similis seu dissimilis patris uel patri. Item adiectiua propinquitatis loci, uel sanguinis: ut proximus, affinis, cognatus, propinquus. Item contrarietatis, ut cõtrarius, inimicus, aduersus Cæsaris uel Cæsari. Alia regunt genitiuum uel ablatiuum, qualia sunt, plenitudinis seu copiæ cum contrarijs, ut plenus, diues, abundans, refertus, uacuus. Postremò dignus. a. um,

quod

quod cum genitiuo uel ablatiuo construitur, ut dignus honoris uel honore. Postulat aliquando infinitiuum, ut dignus coli: aliquando etiam posterius supinum, ut dignus amatu.

De Ablatiuo absoluto.

Multi Grammatici affirmant, ablatiuum eo solùm nomine dici absolutum, quòd in oratione poni possit, siue in principio, siue in medio, siue in fine, cùm ab oratione sequenti prorsus dependeat, & sine ea consistere non poßit. Ego tamen ita existimo, ablatiuum poni absolutè nihil aliud eße: quàm aliun de non pendêre, neque ab alia parte orationis regi. Quòd si à sequenti oratione pendêre uideatur, illud tātùm est in sensu, ut scilicet perfectum sensum in animo audiĉtis ingeneret oratio, quo modo in præsentia nō loquimur de regimine. Ac licèt ablatiuus absolutus regimine careat passiuo, bene tamē regimē habet actiuū, cùm suū casum à tergo regat, ut me Grāmaticam docente, tu plurimùm in literis proceßisti.

Fit autē quinq; modis. Ex duobus nominibus, ut Rege Philippo pax inter Gallos & Hispanos conciliata est. Ex nomine & pronomine, ut me præceptore bonas literas didicisti. Ex nomine & participio, ut Philippo imperāte summa fuit pacis & otij trāquillitas. Ex pronomine & participio, ut me legēte Resp. plurimū decoris & ornamenti suscepit. Ex participio præteriti, ut dicto de nomine, agendum est de uerbo: aut ex solo gerundio, ex quorundam sententia, ut fando aliquid.

Notabis tamen hac in parte unum, quod præci-

puum est. non posse scilicet dari locum ablatiuo absoluto, quando ablatiuus & uerbi suppositum ad eãdem personam pertinent. Non enim dices, me occupato non potui ad te scribere: sed ego occupatus. Item me occupato nullum tempus ad studia relictum est, dicendum, mihi occupato. Similiter non dices, me legente profeci, sed ego legens. Cæterùm si ablatiuus absolutus, & uerbi suppositum ad diuersas personas pertineant, habet locum ablatiuus absolutus ut me magistro tu magnos in eloquentia fecisti processus. Item, me legente Resp. omnem effugit barbariæ maculam.

Si forte quæras, Vtrùm alius casus ab ablatiuo poni possit absolutè? Respondeo minimè id fieri posse. Si obijcias illud Sallustij in Catilina. Præterea omnes undique parricidæ, sacrilegi, cõuicti iudicijs, postremò omnes quos flagitium, egestas, conscius animus agitabat, hi Catilinæ proximi erant. vbi omnes illi nominatiui, parricidæ, sacrilegi, ponũtur absolutè. Respondeo, nominatiuos illos simul cum pronomine demonstratiuo, hi, regi ab eodem uerbo, erant.

De quisque.

Disputat Nebrissensis de quibusdam dictionibus. quæ iungũtur diuersis gradibus comparationis, & de quibusdam alijs partibus indeclinabilibus Quisque à quis &, que, coniunctione copulatiua ordinis postpositiui componitur: est autem nomen uniuersale. Differtq; à quisquis, & quisquam: nam quisquam particulare nomen est: quisquis postulat duas oratio-

orationes, ut quisquis benefecerit, à Deo accipiet sui benefacti remunerationem: quisque unicam tantùm, ut suum quisque ingenium habet.

Iungitur quisque primùm omnium superlatiuo, siue in eodem casu, siue diuerso: ut optimus quisq;, optimo quisque ingenio. Postponitur semper superlatiuo, nisi præcedāt hæ particulæ, ut, ita, quàm, & tam, tunc enim præponitur superlatiuo: sit exemplum, ut quisque ditißimus est, ita maximè honoratur: quàm quisque ditißimus est, tam maximè honoratur. Caret genitiuo numeri pluralis, pro quo utimur singulari: idem enim est, optimi cuiusque animus, quod omnium bonorum animus.

Iungitur tamen aliquando quisque positiuis, uarijs modis. Primùm quando iungitur nominibus quorum significatio nec crescere, nec minui potest, ut ingens quisque, singularis quisque, omnipotens quisque. Deinde quando iungitur nominibus habentibus ante, is, uel, us, uocalem: ut strenuus quisque. Sallustius in Catilina. Nam strenuus quisque aut occiderat in prælio, aut grauiter uulneratus discesserat. Quidam tamen Sallustiani codices scriptum habent strenuißimus. Item pius quisque, non pijßimus: quæ uox Ciceroni barbara uisa est, à qua tamē qui post illum secuti sunt, non abhorruerunt. Quintus Curtius lib. 8. O fidissimi, pijßimiq; ciuium. Titus Liuius lib. 5. Pijssimè tum apparari poterat. Præterea quando iunguntur numeralibus ordinalibus, ut primus quisque, secundus quisque. Quæ nomina cum quisque possunt uel unum ex numero præscri-

pto significare, uel ultimum: ut dabo tibi ex ouibus decimam quanque, id est, unam ex decem, quam malueris: quarto quoque anno est bissextus. Vbi nemo quisquam tam lippus est, ut non uideat de eo tantùm anno qui in ordine quartus est, non de uno quolibet ex quatuor intelligi. Ad hæc quando iungitur nomini, unus, ut unusquisque bonus, non unusquisque optimus: quia unus uim quandam ac naturam superlatiui obtinet, & absurdum esset in eadẽ oratione iungere duas dictiones superlationem significantes. Iũgitur postremò his dictionibus, sui, suus, quotus: sed cum quotus interrogatiuè. Vt suum quisque emolumentum amat, sibi quisque indulget, sui quisque miseretur: quotus quisque nõ superbit diuitijs? nullus, aut pauci.

Præter has formas positiuorum, inuenitur etiam quisque positiuo iunctum Cornelius Tacitus, Vt quisq; Vitellio fidus. Iustinus lib. 1 Cognitione quęque digna excerpsi. Suetonius in Othone, Inualidũ quenque obuiorum in sublime iactare solitus. Tacitus iterum, Certatim ut quisque animo ignauus. Ex his intelliges, quisque elegãtiùs asciscere sibi superlatiuum: qui tamen positiuo iunxerit, non ineptè loqui censebitur, si tamen id parcè fecerit.

Potest etiã iungi quisq; cõparatiuis, præcedẽtibus aduerbijs cõparationis, quò, eò quãtò, tantò: ut quò generosior quisq; est, eò urbanior, uel quãto generosior quisq; est, tãto urbanior. Reperitur etiã sine aduerbijs comparationis, iunctum comparatiuo, sed rarò. Vegetius, Honestiores quique milites. Lactan

ctantius de Opificio: Placidiora quæq; animalia. Cicero in Verrem, Quisque grauior homo atq; honestior. Seneca lib, 2. de Ira, Non uides ut maiorē quā que fortunam maior ira comitetur.

De Omnis, & Cunctus.

Omnis, totus, cunctus differūt: nam omnis numerum denotat, ut omnes homines natura scire desiderant: totus quantitatem continuam dicit, ut totum panem comedi: cunctus utriusque significationem habet, ut cūctum piscem, aut cunctos pisces deuorauit. Omnis & cūctus positiuo iunguntur, & comparatiuo: ut omnes boni, cuncti boni, omnes sapiētiores, cūcti sapientiores. Verùm tametsi rectiùs feceris, si quod docet Laurētius, omni studio fueris imitatus; non infrequenter tamen apud bonos authores inuenias, quo te tuearis, si contrà quàm ipse tradit, fortè fueris loquutus. Placuit consultò quamplurima Ciceronis exēpla in medium proferre, in quibus omnis iungitur superlatiuo: ut omnes Grāmatici intelligant, id nobis licere, quod Ciceroni Romanæ eloquentiæ parēti toties licuit. Cic. pro Cecinna, Cur si cuiquā nouo ciui potuerit adimi ciuitas, nō omnibus Patricijs, omnibus antiquißimis ciuibus possit? Idem in partitione Oratoria, Id effugiet, qui non omnia minima repetet. Idē de Oratore li. 2. Qui oēs tenuißimas particulas, atq; oīa minima māsa in os inserant. Idē in Bruto, Me⁹ autē ęqualis Cn. Pōpeius, uir ad oīa summa nat⁹. Pro Lucio Flacco, Ipse omnibus turpissimis iudicijs cōuictus est. Pro Rabirio, Cùm deniquc omnes clarissimi uiri cum Consulibus essent.

Idem.4.Epistolarum ad Lētulum. Omni gradu amplissimo dignus.Idem ad Plancum lib.10.Omnibus mihi crede amplissimis honoribus abūdabis. Sed me comprimam,ne in re à Cicerone frequenter usitata firmāda,prolixus nimiùm alicui,aut superfluus esse uidear.

De aduerbijs finitis in Vm.

Aduerbia in um ut tantùm,quantùm multùm,parùm,modicùm,paulùm,aliquantùm. Iunguntur primò positiuis,ut tantùm doctus,quantùm facetus: aliquando comparatiuis, quando sibi uicissim non respondent,nec est illa duorum contrapositio. Iuuenalis Saty.11. Despiciam, qui scit quantùm sublimior Atlas.Terentius, Eius frater aliquantulùm est ad rem auidior.Quintilianus libro.12.capi. 9. Atquidam si fortè susceperint negotia paulùm ad dicēdum tenuiora,ea conuitijs implent.Aliquādo in uno membro est aduerbium in um,in altero in o,siue contra, graduum uarietate id poscente. Verg.li.12.O præstās animi iuuenis,quātùm ipse feroci Virtute exuperas,tantò me impensius æquum est consulere.Iunguntur deinde uerbis, ut quantùm potes,tantùm in bonis literis labora.Item his præpositionibus ante, & post,& uerbis ab illis compositis, & à præ. ut multùm ante,multùm post, multùm antecellis,paulùm posthabui tua negotia meis,multùm præstat.

De aduerbijs finitis in,O.

Finita in,O,iunguntur tam comparatiuis. quàm superlatiuis.Cicero primo Officiorum. Quantò superiores sumus,tantò nos geramus submissius. Ca-

tullus

tullus Epigrammate ad Ciceronem, Tantò peßimus omnium Poeta, quantò tu optimus omnium patronus, Terentius in Eunucho, Hic quæstus est nūc multò uberrimus. Excipiuntur paulò, & aliquāto, quæ tantùm comparatiuis adhærent, ne superlatio cum diminutione coniungatur: ut paulò doctior, aliquantò prudentior. Iunguntur præterea his præpositionibus ante, post, & uerbis ab illis cōpositis & a præ ut tantò antè ego ueni, quantò tu post uenisti. Salustius, Multò præstat maleficij, quàm beneficij immemorem esse. Adhærent item nominibus siue aduerbijs diuersitatem significantibus, ut quātò alius, multò aliter, multò secus. Postremò dictionibus significantibus excessum, ut multò superat, multò excellit.

De Tam & Quàm.

Hæc duo aduerbia tam, & quàm, duplicem habēt usum. Aut enim sibi inuicem respondent in oratione ita ut post tam sequatur quàm: aut ponūtur separatæ. Si sibiipsis respondeant, omnibus gradibus iunguntur Positiuo, ut tam bonus, quàm doctus. Cōparatiuo, uerùm non ita frequenter: idq; nō tantùm apud Poetas ut multi uolunt, sed apud Oratores etiam. Vergil. 7. AEnei. Tam magis illa fremēs, & tristibus effera flammis, Quàm magis effuso crudescunt sanguine pugnæ. Valerius Max. lib. 4. Posterior ætas in excolendo iure amicitiæ, quàm libētiùs tam etiam religiosiùs erit operata. Cicero pro Deiotaro, Istam inquam dexteram, nō tam in bellis & in prælijs, quam in promißis & fide firmiorem. Su

perlatiuo frequẽtiùs, ut tam hic est omniũ optimus, quàm nobilissimus. Sallustius in Iugurtha. Quàm quisq; pessimè fecit, tã maximè tutus est Si uerò ponantur separatim, & altera sine altera, iunguntur positiuo, & superlatiuo: cõparatiuo minimè. De tã cum positiuo, Cicero. 2. Philippica. Tam bonus gladiator tã citò rudem cepisti? Cum superlatiuo, Idẽ, In tã optima causa nõ debeo timere. De quàm quia disserẽdum est latiùs, ideò eius tractationem in hũc eundem locum non uocabo.

De Quàm.

Quàm si capiatur pro quantùm, iungitur positiuo, Cicero li. 7. Epistolarum ad Trebatiũ, Quàm sint morosi, qui amant, uel ex hoc intelligi potest. Ex qua authoritate colliges, quàm pro quantùm solere iungi uerbo minùs principali, in recto præsertim modo loquendi. & non figurato: at uerò si oratio figurata sit, hoc est, irrisionis aut exprobrationis plena, iungitur uerbo principali, ut quàm citò uenisti, quàm suauis homo es. Iungitur etiã superlatiuo cum uerbis præsertim potẽtiæ, qualia sunt, possum, ualeo, queo, licet, & si qua sunt alia: ut scribas quàm optimè potes. Sed tunc, ut author est Laurentius libro primo Elegantiarum capit. 17. quàm non iungitur cum superlatiuo, sed cum uerbo sic, scribas optimè quàm potes. Si uerò obijcias dictũ illud Terentianum in Eunucho, Tute scis, post illa quàm intimum te habeam: ubi sine uerbo potentiæ, quàm pro quantùm iungitur superlatiuo intimum. Respondeo: intimum accipi pro positiuo, sicut proximum:

mum: dicimus nanq;, hic est mihi magis proximus, ita hic est mihi magis intimus. In quibus locutionibus si proximus & intimus superlatiua essent recipere non possent in consortium aduerbium magis. Postremò quàm pro quantùm iungitur uerbo, ut scio quam tibi placeant mea omnia. Et ne quid necessarium prætermittamus, scito studiose adolescens, quam pro quantùm reperiri aliquando iunctum cõparatiuo, & superlatiuo etiam, Cicero secundo de officijs, Sed tamen uidemus, quibus extinctis Oratoribus, quàm in paucis spes, quàm in paucioribus sit facultas. Idem pro Cornelio Balbo, Sed quàm est illud imperitissimè dictũ. Cæterùm horum graduum non est admodum frequens usus apud authores.

Si uerò quàm capiatur pro ualde, iungitur superlatiuo & uerbo etiam principali: ut quàm doctissimus est, Sed tunc non regit casum, non enim dixeris, quàm doctissimus est omnium: quo nomine differt à longè, cum quo superlatiuus casum regit, ut tu es longè omnium, quos mihi uidere contigit, doctissimus. Si uerò obijcias Terentianum illud in Andria, Reiecit se in eum flens quàm familiariter, ubi quam pro ualde iungitur positiuo. Respondeo, ibi quã capi pro quantùm, & nõ pro ualde: quàm familiariter, id est, quãtum familiariter: figuratè, quasi, o quãtum familiariter. Nihilominus tamẽ scito, quã pro ualde apud bonos authores reperiri iunctum positiuo. Cæsar libro quarto Gallici belli, Monuit ut maritimæ res quàm celerem atque instabilem

motum

motum haberent. Idem lib. 1. bellorũ Ciuilium, *Qui inopinantes pabulatores aggreßi, quàm magnum numerum iumentorum intercipiunt.* Cœlius *ad* Ciceronem. Habeo *quàm multa.*

Sunt tamen hic duo aut tria obseruatione digna: Quorum illud primum sit, loco quàm pro quantùm, posse poni ipsum quantùm: ut in dicto illo Ciceroniano, Quàm morosi sint, qui amant: dicere posses, quantùm morosi. At uerò loco quàm pro ualde, poni nõ potest ipsum ualde: non enim diceres Latinè, *ualde doctissimus est, pro quàm doctißimus est. Sit secundũ, quàm iungi superlatiuo plurimus, &* Latinè *dici quam plurimas literas abs te accepi, non quàm plures, contrà complures, non complurimas.*

Sit *tertium, ex quàm & primùm, oriri quam primùm: quæ particula à cũ primum dupliciter differt,* T*um quia quamprimùm significat confestim siue protinus, ut quamprimùm ueniam: cum primum significat ut primum siue ubi primum, ut cumprimum mare intraui, exorta tẽpestas est.* T*um etiam, quia quamprimum unicũ desiderat uerbum: cumprimum uerò duo, neq; aliter eius explebis naturã, ut in exemplis citatis uidere est. Quòd uerò per cũprimum solet enunciari, non minus ornatè per ut primum, ubiprimum, simul, simulac, simulatq;, simulubi, simul primum, & alios dicendi modos exprimitur.*

De Per, & Perquàm.

Per, *quando cum adiectiuis componitur, capitur pro ualde, & iungitur positiuo.* In *quo differt à quam, nam quàm pro ualde superlatiuo iungitur, ut*

quàm

quàm optimus, quàm doctissimus: per uerò iungitur positiuo, ut perbonus perdoctus. Quòd si una aut altera authoritas apud scriptores reperiatur, quæ huic nostræ præceptioni aduersetur, legem facere non debet, cùm nos de ijs præcepta tradamus, quæ frequentiùs factitata sunt, præsertim à Marco Tullio, & Marco Fabio optimis benedicendi magistris. Hoc dixerim, quia per reperitur aliquando iunctũ superlatiuo. Liuius belli Macedonici lib. 10. Paucis & expeditis perdifficillimum aditũ. Plinius Historicus lib. 2. capite. 54. Itaque perplurimùm refert unde uenerint flumina, & quò concesserint. Cato in libro de Re rustica, Inibi Austrum caueto permaximè. Columella libro tertio capi. 20. Quum quod longè sit facilius, adhuc perpaucissimis agricolis contigerit. Sed hæc rara sunt, neque ad imitationem proponenda.

Ex per & quàm, fit perquàm. Quæ uox positiuo etiam iungitur, ut perquàm doctus: quia indecẽs uideretur duo aduerbia uehementiã significantia superlatiuo anteponi. Quã legem sequũtur etiam illæ particulæ uehementiæ sanequàm, nimisquam, oppidoquàm, inprimis, cumprimis, inter primos, in paucis, cumpaucis, inter paucos quæ omnes positiuis iũguntur, non superlatiuis. Aliquando tamẽ perquàm iungitur superlatiuo. Boetius in commentarijs Logicæ breuioribus, Apud scriptores quidem Græcos perquam rarissimos. Pomponius perquàm breuissimos libros dixit. Curtius lib. 4. dixit etiã, Perquàm maximo posset exercitu. Sed huiusmodi exẽpla tam

rara

rara sunt, ut dubitari possit, an librariorũ fortè culpa similis error sit cõmissus. Iungitur etiã perquã uerbo: sicut per, ut perquàm uelim, perquam placet, sicut peruelim, perplacet.

De hei & væ.

Hei & uæ interiectiones sunt dolentis, & iungũtur datiuo, ut hei mihi misero, uæ tibi infelici. Olim tamen accusatiuo iungebantur, hei me, uæ te: sed huius cõstructionis nullus est usus apud probos authores. Iungitur uocatiuo. Terẽtius, Hei noster laudo. Aliquando uerò per uæ alicui minamur cum eodẽ datiuo. Martialis lib. 5. Carpere causidicus fertur mea carmina, qui sit, Nescio: si sciero, uæ tibi causidice. Aliquando aspirata in fine iungitur uocatiuo, ut uæh insane. In compositione aliquando auget, ut uægrandis: aliquãdo minuit, ut uæcors, qui mali turbatiq; cordis est. Si scribatur sine diphthongo, coniunctio est disiunctiua ordinis postpositiui, de qua in præsentia non est sermo.

De Heu &, O.

Heu interiectio est etiam dolentis, & aliquando ponitur absolutè. ut Heu quãtis sum tempestatibus iactatus. Si uerò nõ ponatur absolutè, tres regit casus. Nominatiuum, Vergil. AEneid. 6. Heu pietas, heu prisca fides. Accusatiuum, Terẽtius in Andria, Heu me miserum. Et ferè cum huiusmodi pronominibus dolentis est particula: nam cum alio nomine freuqentiùs ea utimur ad exprobrandum. Vergilius AEneidos. 7. Heu stirpem inuisam. Vocatiuum, Vergilius, Heu regni rerumq; oblite tuarum. Apud

Ecclesiasticos & Plautum iūgitur datiuo, Heu mihi quia incolatus meus. Geminatur aliquādo sine casu. Plautus Pseud. Heu heu, quā ego malis perdidi modis quod tibi detuli. Eheu ponitur etiā sine casu. Vergi. 2. Ecloga, Eheu quid uolui misero mihi, floribus Austrum. Idem tertia, Eheu quàm pingui macer est mihi taurus in aruo.

O, aut est uocantis aduerbium, aut interiectio dolentis, cōmiserantis, seu indignantis. Si sit uocantis aduerbiū, uocatiuo solùm iungitur, ò Melibœe. Est etiā optantis, Vergil Ecloga. 6. O tātùm libeat me cū tibi sordida rura, id est, utinam libeat. Si uerò sit interiectio, seruit omnibus affectibus, & iūgitur tribus casibus. Nominatiuo, o ego ter felix. Accusatiuo ô me miserum, ô te infelicē. Sed si supprimatur, nō habet tantum caloris & uehementiæ, ut indignum facinus, hominem nequam & perditum, Vocatiuo, Cicero pro Flacco, *O nox illa, quæ penè æternas huic urbi tenebras attulisti.*

De En, & Ecce.

En & ecce, demōstrādi sunt aduerbia. Sed en ponitur aliquādo absolutè, en magna scholasticorū multitudo in eū locū cōfluxit. Aliquādo cū nominatiuo, Verg. AEne. *En Priamus. Atq; hac particula utimur cū nominatiuo nō tātùm demonstratiuè, sed exprobratiuè etiā.* Cice. pro Deiotaro, *En crimē, en causa, cur Regem fugitiuus, dominum seruus accuset.* Ali*quando cum accusatiuo non tantùm demonstratiuè,* Vergilius, *En quatuor aras. Sed exprobratiuè,* Idē AEnei. 12. *En agros. Hen apud* Comicos *reperitur*

cum

cum eiſdem caſibus. Nominatiuo, *Plautus Curcul.* Hen *tibi anus lepida.* Accuſatiuo, *Terentius in Andria,* Hen *Dauum tibi.*

Ecce ponitur etiã abſolutè, & apud Poetas repẽtinum aliquid inſperatumue ſignificat. Vergil. AEneid.2. Ecce *trahebatur paſsis Priameia uirgo Crinibus. In ſacra pagina ſacramentum aliquod diuinitatis plenum importat, ecce uirgo cõcipiet. Iungitur nominatiuo. Cicero lib.14.ad* Atticum, *Ecce autẽ Antonius accepta grandi pecunia.* Accuſatiuo, *licèt non ita frequẽter. Plautus in Mercatore,* Ecce *me Acãthio, quem quæris. Terẽtius in Adelphis, Ecce me, qui id faciam uobis.* Cicero pro Cecinna, *Cùm ſubitò ecce eum qui ſolet, ſuos ſolos ſeruos armatos fuiſſe dixit. Iungitur etiam datiuo tibi, ecce tibi, qui loquendi modus frequentiſsimus eſt apud Ciceronem.*

Cõponitur ecce cũ pronominibus hic & ille, eccũ eccam, ellum, ellam, ſed priora exponuntur per ecce & hic, poſteriora per ecce & illic, eccũ ecce hic eum, ellum ecce illic eum.

De comparatiuis.

E*xplicata nominum adiectiuorum cõſtructione, & quarundam partium indeclinabilium natura, diſputat* Nebriſſenſis *de cõparatiuis & ſuperlatiuis, quorum tractatio plurimum habet intra ſe utilitatis & emolumenti, ac propterea diligentiùs à nobis inſudandum eſt, ne quid in ea prætermittatur, quod ad exactam perfectamq; eorum cognitionem conducere aliquantiſper uideatur.* Comparatiua *igitur à*

compa

comparando dicta sunt quod per ea rei ad rem comparatio fieri soleat cum excessu quodam. Nam cum tres sint gradus cõparationis Positiuus, Comparatiuus, Superlatiuus. Positiuus qualitatem ipsam uel quantitatem (nam in his duobus fit omnis comparatio) simpliciter adhuc, absoluteq́; , nec alio relatam significat: Cõparatiuus eadẽ quãtitatẽ qualitatẽue tollit uel deprimit. Superlatiuus uerò, quantum est in se, eò usq; prouehit, ut metas figat ultra quas progredi minime liceat. Comparatiuorum igitur materiam aggredientes, ab eorũ definitione auspicemur: deinde explicemus à quot partibus orationis oriantur, mox quo pacto formentur, deinde quot modis construãtur, postremò de cõparatione erit sermo.

Quid sit comparatiuum.

Comparatiuum nomen est, quod cum intellectu positiui, uel aliquo participe sensus positiui, significat magis aduerbium. Finitionis partes explicemus oportet. Quod cum intellectu positiui: id est, ultra illud quod significat nomen positiuum, significat aduerbium magis, ut fortior te, id est, magis fortis, iustior te, id est magis iustus. Vel aliquo participe sensus positiui. Intelligit quancunq; aliã orationis partem, quæ ponitur loco nominis positiui, putà uerbũ, præpositionẽ, aduerbium, à quibus comparatiua oriri solent ut citerior magis citra, ulterior magis ultra. Nam duplicia sunt positiua, propria & impropria: propria sunt nomina adiectiua, uel uim illorũ habentia: impropria uerò, uerbum, præpositio, aduerbium, à quibus (ut paulò post dicemus formantur

tur aliquando tum comparatiua, tum superlatiua. Sed quia hæc definitio non tantùm explicat quid sit nomen comparatiuũ, quam quid significet, ideò eius naturam posses hac finitione exprimere. Cõparatiuum est rei ad rem collatiuum: nam in hoc comparatiui natura uersatur tota, ut rem unam cum altera conferat.

Ex prioris definitionis expositione liquidò constat, traditam fuisse de comparatiuo cõparato. Nã duplex est cõparatiuus, comparatus, & absolutus. Comparatus est, qui cõparationẽ importat, & proprij casus syntaxi exornatur: absolut⁹ uerò qui nullã præsefert cõparationẽ, & omni nudatus est constructione. Comparatiuus igitur cõparatus æquipollet suo positiuo & magis: ut Cicero eloquẽtior Hortensio, id est, magis eloquens, qua in re nulla est inter Grammaticos controuersia. Cæterùm utrùm cõparatiuus absolutus significet quantum positiuus, an minus, in hoc est grauissima inter latinitatis principes contentio. Priscianus lib. 3. ca. de cõparatiuo aßerit, Cõparatiuum absolutè positum significare minus quàm positiuum, cuius sententiæ adhæret in litera Nebrissensis. Iàq; duabus præcipuè authoritatibus cõfirmat, quarum prior est ex 1. AEneid. Tristior & lachrymis oculos suffusa nitẽtes, alloquitur Venus, id est, subtristis. Nã cùm Dea esset, uera tristitia pturbari nõ poterat. Posterior ex AEnei. 6. Iã senior, sed cruda deo uiridisq; senect⁹. Loquit̃ de Charõte, qui animas ad inferos trãsportabat, qui parùm senex erat, cùm non adulta & præceps, sed uiridis

uiridis ac ueluti incipiens illi eßet senectus.

Sed ego hac in parte nō possum cū Laurētio & Seruio etiā in ea Vergilij loca, nō cōsentire: qui tenent cōparatiuū absolutū non minus, sed tantū significare, quātum positiuū: ex uulgata Quintiliani authoritate, Vtimur uulgò cōparatiuis pro absolutis, id est, positiuis. Ad carmen Vergilij, Tristior & lachrymis, &c. Respōdeo tristior pro tristis capi: nā re uera Venus tristis erat, cùm uideret filiū AEneā tot ac tantis tēpestatibus & procellis iactari, neq; aditum illi in Italiam dari, in qua ex Deorum oraculis deberet principatum tenere. Quòd si subtristis esset, nō subderet Vergilius, et lachrymis oculos suffusa: nam parùm tristis & lachrymis plena, pugnāt inter se. Ad alterū, Iā senior, sed cruda Deo: ibi senior nō pro parùm sene, sed pro sene, aut ualde sene capitur. Et est sensus magis apertus, & gratior multò, Charō ad multam peruenerat senectutem, sed adeò uiridis erat & robusta senectus, quasi modò inciperet senescere.

Vnde oriantur Comparatiua.

Partes autē orationis, à quibus cōparatiua & superlatiua deducūtur, quatuor sunt: nomē, uerbū, praepositio, aduerbiū: quas necesse est sigillatim pcurrere, ne quis sibi falsò psuadeat, ab omnibus in uniuersū nominibus oriri posse cōparatiua & suplatiua.

Nominum alia sunt substantiua, alia adiectiua, substantiuorum alia propria, alia appellatiua. A proprijs non deducuntur comparatiua, nisi fortè per iocū dixeris à Nerone Neronior, à Catone Ca

tonior. Appellatiua duplicia sunt, alia absoluta, quæ ultra principale significatum nihil aliud importat, ut homo, leo, lapis, paries, à quibus cõparatiua nõ formantur, cùm substantia ipsa incremẽtum aut diminutionem suscipere non possit. Alia quæ à Dialecticis connotatiua appellatur, quorũ ea natura est, ut præter præcipuam significationem, qualitatẽ aliquam præse ferant, quæ minui aut augeri possit, & in qua fieri etiam possit comparatio. Ea autẽ sunt, diues, pauper, iuuenis, senex, adolescens & similia, quæ diuitias, paupertatẽ, iuuẽtutẽ, senectutẽ, adolescentiã important, quibus omnibus unus altero maior aut minor esse potest, ac propterea ab his pulchrè nascũtur cõparatiua, ditior, pauperior, iunior senior, adolescentior. De substantiuis dictum est.

Adiectiuorum duplex est forma. Nam alia sunt, quæ qualitatem aut quantitatem significant, quæ minui, aut crescere non possit, qualia sunt, summus, unicus, ingens, omnipotens, imus, quæ ex seipsis comparatiua aut superlatiua gignere non possunt. Alia quorum significatio crescere, aut diminutionẽ suscipere possit, & ab his formantur comparatiua, ut à forti fortior, à grandi grandior. Excipiũtur tamen ab his nomina primùm quæ ante, is, uel, us, uocalem habent, qualia sunt pius, strenuus, assiduus, tenuis, quæ non formant comparatiua, Euphoniæ, id est, boni soni gratia. Quanquam sæpissimè apud bonos authores inueniuntur ab huiusmodi adiectiuis comparatiua, usu enim & consuetudine effectum est, ut sonus ille eruditas aures non offendat. Cicero Rheto

rico

ricorum lib. 2. Sed ille tenuiùs, & acutiùs, & subtilius tractantur. Idem in Bruto, Aßiduißime autē me cum fuit Dyionsius. Suetonius in Galba, Aßiduißimi ujus. Plin. Iunior lib. 7. Epistolarum, Exiguißima legata. Plinius Senior lib. 18. Milites strenuißimi ex agricolis gignuntur: & alia innumera. Excipiūtur item nomina omnia numeralia cuiuscunque ordinis sint, quæ comparatiua nō formant, qualia sunt primus, secundus, duplus, triplus, bini, terni. Excipiuntur præterea pronomina omnia in propria natura capta, à quibus non promanant comparatiua. Dixi si in propria natura capiantur, nam ipse pro similis format ipsißimus, id est, simillimus. Excipiuntur deinde signa omnia uniuersalia, & particularia, ut omnis, cunctus, aliquis, quidā. Item possesiua, ut paternus, maternus, Vergilianus. Postremò significantia patriam, ut Complutensis, Burgensis, Cordubensis: & alia, de quibus certa regula tradi nō potest: à quibus omnibus nec comparatiua nascuntur, nec superlatiua. Solent tamen in multis eorum suppleri cōparatiua per magis & positiuū: superlatiua per maximè & suum etiā positiuū: ut magis strenuus, pro strenuior, maximè strenuus, pro strenuissimus.

Iuxta multorum sententiam, à duobus uerbis prodeunt comparatiua & superlatiua: à detero deterior, à potior potissimus. Sed ego ita existimo deterior non à detero, sed à deter antiquo positiuo, sed obsoleto, nasci: & potissimus non à uerbo potior, sed à nomine potis &, e, deriuari.

A præpositione proficiscuntur comparatiua, ut

à prope propior. Item ab aduerbijs, ut à pridem prior: à sæpe sæpius, sæpissimè.

Quæres, Vtrùm a participijs formentur comparatiua: Respondeo pulchrè satis formari posse, non quatenus participia sunt, sed quatenus nomina, idq; tantùm contingit in participijs præsentis, & præteriti, ut ab amans amantior: à doctus doctior.

Quo pacto formentur.

Formatio est nouæ uocis noua quædam compositio. Est autem quantùm attinet ad præsentem materiam duplex: regularis, & irregularis. Regularis est, quando prima syllaba positiui seruatur in comparatiuo & superlatiuo. Irregularis uerò, quando eadem prima syllaba non seruatur: agamus de regulari. Comparatiua regulariter formantur à positiuis primæ & secundæ declinationis, a genitiuo singulari masculini generis addita, or: ut albi albior. A quo eodem genitiuo formantur superlatiua addita, S, & simus: ut albi albissimus. A positiuis uerò tertiæ declinationis à datiuo singulari addita, or, ut à forti fortior: superlatiua uerò à genitiuo singulari addita, simus, tantùm, ut fortis fortissimus.

De formatione irregulari. Excipiuntur sex duplicia nomina, à quibus oriuntur comparatiua & superlatiua, nō seruata regula formationis Prima, Adiectiua in ficus composita à facio, ut magnificus, beneficus: à quibus non formantur comparatiua, sed à participijs magnificens, beneficens, quæ in usu non sunt. Secunda, Adiectiua in dicus composita à uerbo dico, ut benedicus, maledicus: à quibus non

dedu-

deducuntur comparatiua, sed à participijs benedicens, maledicens. Tertia, Adiectiua in, olus, composita a uerbo uolo, ut beneuolus, maleuolus: à quibus cõparatiua originem non trahunt, sed a participijs beneuolens, maleuolens. Quarta, Adiectiua à uerbo loquor composita, ut magniloquus, grandiloquus, uaniloquus: à quibus comparatiua non profluunt, sed à participijs magniloquens, grandiloquens, uaniloquens. Quinta, Adiectiua finita in, er, à quorum nominatiuo formantur superlatiua in, rrimus, ut à miser miserrimus, à tener tenerrimus: quorum proportionem sequuntur uetus ueterrimus, maturus maturrimus. Sexta, Adiectiua in, lis, quæ per hanc dictionem fagus intelliguntur: quæ comparatiua formant secundum regulam, superlatiua præter regulam, à nominatiuo, is, in, limus: ea autem sunt facilis agilis, gracilis, humilis, similis. Ex hac formatione liquidò omnibus constabit, triplicia esse comparatiua: uoce tantùm, ut nouissimus: significatione tantùm, ut melior, peior: uoce & significatione simul, ut albior, fortior.

Quot modis construantur.

Gradus cõparatiuus quadrupliciter cõsiderari solet. Adiectiuè, ut doctiores uiri ita sentiũt: & ita nulli regit post se casum, sed cũ substãtiuo cõcordat in genere, numero, & casu. Positiuè, quãdo sui positiui casum regit, ut doctior pilæ, quã literarũ, tũc etiã casũ regit ex ui cõparationis, ut aptior te bello. Partitiuè, qñdo fit inf duos cõparatio, & tũc genitiuũ regit ut manuũ dextra fortior, tũc etiã ablatiuũ regit

ex ui comparationis, ut manuum dextra fortior ſiniſtra. Sunt autem tria neceſſaria, ut comparatiuus genitiuum regat ex ui partitionis. Vt comparatio fiat inter duo: unde inepte ſatis diceretur, fortior digitorum eſt pollex. Vt ſit conuenientia inter comparatiuum & genitiuum in genere unde barbarè diceretur, maior horum charitas ſed maxima. Vt cõparatio fiat inter res eiuſdem generis & naturæ: unde agreſtis planè & ruſticus eſſet, qui ſic loqueretur, pedum manus dextera eſt fortior. Poſtremò capitur in propria ui & natura, & tunc ex ui comparationis uarios regit caſus.

Primum omnium conſtruitur cum ablatiuo, ſiue ſingulari ſi fiat ad unum comparatio, ſiue plurali, ſi fiat ad plures: doctior te, eloquẽtior cæteris Oratorib⁹. Cõſtruitur præterea cũ duob⁹ ablatiuis, altero ex ui exceſſus, ut ſum longior te quatuor digitis.

Deinde cum caſu quẽ particula quam pro ratione uerbi ſubintellecti copulat ut Plato eloquentior quàm Demoſthenes. Aliquando loco quàm ponũtur ac, atq;: ut lõgiùs oratione ſum progreſſus, ac, ſiue atque mihi conſtitueram. Interdum poſt quam ſequũtur illæ particulæ, pro, qui, ut. Exẽplis cõfirmemus. Maiorẽ geris pileum, quàm pro magnitudine capitis: hic adoleſcẽtior eſt quàm qui poſsit Rẽpub. gubernare hic imbecillior eſt quàm ut tã graue prouinciã humeris poſsit ſuſtinere. Notabis quod eſt hac in parte præcipuum, coniunctionẽ ſcilicet quam exigere ſua natura, ut caſus ſequens ſimilis ſit praecedenti, quod intelligendum eſt reſpectu eiuſdẽ uerbi:

at uerò

at uerò si sequatur cum quam uerbum substantiuũ, sequetur nominatiuus. Aliâs præcedente altero nominatiuo, ut melior dux Scipio, quam fuit Annibal. Aliàs præcedente genitiuo Gellius libro 10. Marci Varronis quàm fuit Claudius, doctioris. Aliàs præcedente datiuo. Cicero in Verrem. Homini gratiosiori, quam Cn. Calidius est. Aliâs præcedente accusatiuo. Plaut in Curc. Mulierem peiorẽ quàm hæc est, non audiui. Aliàs præcedente ablatiuo: ut uiduatus est muliere peiore, quam ulla meretrix unquam fuerit.

Postremò cum accusatiuo medijs præpositionibus, Inter, Ante, Super, ut inter omnes tyrãnos crudelior Nero. Variato per alias præpositiones. Item etiam cum ablatiuo medijs præpositionibus, E, Ex, De, ut è fratribus hic pedibus uelocior: poterit hæc oratio per alias præpositiones uariari.

Hæ sunt germanæ constructiones comparatiuorum, quibus tamen optimi authores abutuntur, quẽadmodum & positiuis, sed positiuis bifariam. Alias cùm uicem gerunt comparatiui: quod genus Plautinum illud in Rudente, Tacita bona est mulier semper, quã loquens: bona, id est, melior. Alias cùm uim tenent superlatiui: quale Plinianum illud libro decimosexto, Palma arborum ualida, in diuersum enim curuatur. Id autem perinde est, quòd palma arborum ualidissima. Comparatiuis uerò trifariam abutuntur. Constructione, quando construuntur cũ genitiuo ex ui comparationis. Plinius libro septimo, cap 30. Omnium triumphorum lauream maiorem

adepte. Curtius libro quinto, In oculis duo maiora omnium nauigia submersa sunt. Formatione, quando à substantiuis, aut pronominibus formantur. Significatione, cùm rem positiuis contrariam significat, ut mare Ponticum dulcius est, quàm cætera maria: id est, minùs amarum.

Sed quæritur, priusquàm ulteriùs progrediamur. utrùm semper comparatiuus construatur cum ablatiuo? Respondeo quinque modis priuari huius casus constructione. Primò, quando nomen caret ablatiuo: ut hic ager uberior est, quàm tua rura, non dices ruribus. Secundò, quando fit comparatio inter duo nomina positiua, siue comparatiua: ut sermo facetus magis, quàm utilis, aut sermo facetior quàm utilior. Tertiò, quando fit comparatio inter duo uerba, ut ego uelociùs lego, quàm scribo. Quartò, quando capitur partitiuè, ut oculorum dexter perspicacior. Quintò, quando dictio à qua fit exceptio, ponitur in nominatiuo: ut Priscianus doctior fuit quàm cæteri Grammatici, præterquàm Laurētius: non dices Laurentio, quia præterquàm postulat casum sequentem præcedenti similem.

Quæritur etiam, Vtrùm ablatiuus qui regitur ex ui comparationis, exponi semper posit per quàm? Respondeo, id septem modis fieri non posse. Primò, quando ablatiuus caret nominatiuo: ut uerbere crudelior carnifex: non dices, quàm uerber. Secundò, quando ablatiuus est nominis relatiui: quo iustior alter, non dices quàm qui. Tertiò, quando ablatiuus est dictionis negatiuæ: ut nemine tu es fortior:

tior: non dices quàm nemo, quia negatio præcedere debet, non sequi. Quartò, quando ablatiuus est horũ nominum opinione, fide, spe, solito, æquo, iusto, dicto: fit enim tunc resolutio per uerba, doctior opinione, id est, quàm opinabar. uelocius spe mea, quàm sperabam: doctior solito & æquo, quàm solebam, aut æquum erat: dicto uelociùs uenit, quàm dixit. Quintò, quando comparatio est partitiua, ut manuũ dextera est fortior. Sextò, quando dictio à qua fit exceptio, ponitur in ablatiuo: ut Diomedes fortior Troianis præterquàm Hectore: nõ dices magis fortis quàm Troiani, præterquàm Hectore, sed Hector. Septimò, quando ablatiuus significat actionẽ, & exponi deberet per genitiuum passiuum: ut expoliaui arma militis te fortioris: non dices, arma militis magis fortis quàm tui, sed quàm tu sis.

De Comparatione.

Hac in parte explicabimus quidnam sit comparatio, quot ad propriam & perfectam comparationẽ necessaria sint, quotuplex sit comparatio, postremò quot modis fieri soleat omnis comparatio.

Quid sit comparatio.

Comparatio est rei ad rẽ collatio cum excessu: ut differat à similitudine, nam quæ æquat, similitudo est potiùs quã comparatio. Cõtingit tamẽ rem similẽ cũ simili cõparari, ut Plato fuit doctior Aristotele. Itẽ cũ dissimili, ut Deus est melior dæmone. Fit etiam comparatio maioris ad minorem, ut Gigantes fuerunt Pygmæis fortiores. Minoris ad maiorem,

ut Pygmæi fuerunt Gigantibus minores. Quæ mẽbra solent alij Grammatici in definitione comparationis includere, atq; ita comparationem definiunt. Comparatio est rerum similium, aut dissimiliũ, maiorum ad minora, minorum ad maiora collatio. Quæ definitio in nullo alio discrepat à priore quàm quòd per partes explicat, quæ latent in priore.

Quot requirantur ad perfectam comparationem.

Sunt autem necessaria quinq; ad bonam & perfectam comparationem, res comparata, res cui comparetur, accidens in quo fiat comparatio, & quòd uterq; terminus sit accidentis particeps, item quòd alter sit magis particeps accidentis: quia omnis cõparatio id agit, ut alterum præferat. Vt Demosthenes eloquentior AEschine. Demosthenes est res cõparata, AEschines cui comparatur: eloquentia, qualitas in qua fit comparatio: & uterq; est eloquentiæ particeps, uerùm Demosthenes magis.

Quotuplex sit comparatio.

Est autem quadruplex comparatio, propria, impropria, abusiua, hyperbolica. Propria est, in qua res comparata, & cui comparatur, sunt eiusdẽ qualitatis participes: ut Hercules fortior leone. Impropria, in qua alter terminus qualitatis positiui particeps est, alter uerò non: ut cygnus albior coruo. Abusiua, in qua neuter terminus est qualitatis particeps: ut coruus est albior AEthiope. Hyperbolica, in qua omnes ueritatis lineas transilimus: ut niue cãdidior. Solent autem huiusmodi comparationes hyper

perbolicæ fieri per genus neutrũ, quod nescio quid plenius sonat quam masculinum, ut nihil est te literatius, nihil est illo prudentius, nihil est isto inhumanius.

Quot modis fiat comparatio.

Fit autem omnis cõparatio præcipuè modis quinque. Primò ad unum sui generis uel diuersi, & utẽdum est comparatiuo ut tu es cõtubernali doctior, item uelocior ceruo. Secundò, ab uno ad alterũ per genitiuum utrunq; significantẽ, & tunc utimur etiã comparatiuo genitiuum exigenti, ut manuũ dextera est fortior. Tertiò, ab uno ad plures, & à pluribus ad plures diuersi generis, & tunc etiam locus est cõparatiuo, ut Achilles fuit fortior Troianis, itẽ Græci fuerunt Troianis fortiores. Quartò à pluribus ad unum per comparatiuum, ut nos sumus te doctiores. Quintò, ad plures eiusdem generis, & tunc utimur superlatiuo, ut Achilles fortissimus Græcorũ, quanquam & similis comparatio fieri potest per cõparatiuum cũ relatiuo diuersitatis, ut Achilles fuit fortior cæteris Græcis. Præter hæc potest etiam fieri comparatio ad se ipsum, ut sum solito eloquentior, & ab una qualitate ad aliam ut sum magis industrius, quàm fortis, aut ab uno gradu ad aliũ, ut loquacior quàm eloquentior.

Sed quæres, quænam dicantur esse eiusdem generis, aut diuersi? Respondeo, illa esse eiusdẽ generis, quibus unum nomen commune est, aut in quibus res comparata includitur in genitiuo siue ablatiuo comparationis. Vt Plato Philosophorum eloquentissi-

mus: nomen Philosophi tam Platoni, quàm cæteris Philosophis cõmune est, item Plato in genitiuo Philosophorum inclusus est. Illa uerò sunt diuersi generis, quæ unum nomen commune non habent, & in quibus res comparata non est inclusa in genitiuo, siue ablatiuo comparationis: ut Achilles *fortior* Troianis, *nam* Troianorum *nomen non est cõmune* Achilli, *neque* Achilles *in* Troianis *inclusus est.*

De Superlatiuis.

In hac materia tria tantùm explicabuntur, quid sit nomen superlatiuum, quot modis construatur, & quæ differentia sit inter superlatiuum & comparatiuum. Nomen *superlatiuum est, quod ad plures sui generis comparatum omnibus antefertur, uel per se prolatum significat quantùm positiuum cum ualde.* Examinemus *huius finitionis partes.* Quod *ad plures sui generis comparatum.* Nam *per superlatiuum necessariò fieri debet comparatio ad plures sui generis: ut* Achilles Græcorum *fortißimus: nomen enim* Græcorum *commune est* Achilli, & Græcis *omnibus, item* Achilles *in genitiuo* Græcorum *cõprehensus est.*

Si obijcias Vergilianum *illud,* Ingredere ô Teucrûm atq; Italûm *fortißime ductor: ubi uidetur* Vergilius *comparationem fecisse inter res diuersi generis, cùm loquatur de* AEnea Troiano. Respõdeo *genitiuos illos,* Teucrûm, & Italûm, *regi non à superlatiuo, sed à nomine uerbali* ductor. *Si iterũ obijcias illud ex.3.* AEneid. *de* Celæno *harpyia,* Furiarũ *ego maxima pando. Item illud ex* Sexto AEneid. *de fa*

me,

me, Furiarũ maxima iuxtà accubat, ubi Celænon, & famẽ furias uocat. Reſpõdeo, Celænõ & famem fuiſſe quadamodo furias, cùm harpyiæ more furiarũ omnia pollueret, atq; prophanaret, fames uerò in furias homines agat. Si postremò obijcias illud Macrobij in Saturnalibus, Age Serui omniũ nõ modò adoleſcentiũ, qui tibi æquæui ſunt, ſed & ſenũ quoq; doctiſsime: ubi Seruiũ adoleſcẽtibus, & ſenibus cõparat. Reſpondeo non oportere, ſi genitiuus rectus ex ui ſuperlationis per ſuas partes explicetur, ut partes illæ rei excedẽti conueniãt, ſed ſatis eſſe genitiuũ ſuperlationis illi cõuenire. Quod in præſenti authoritate cõtingit, nã Seruius ſub genitiuo illo generali omniũ clauſus eſt, nec neceſſe eſt, ut cõueniat reliquis partibus, per quas genitiuus ille explicatur. Quod in hoc etiã exẽplo licebit intueri, Homerus omniũ Poetarũ doctiſsimus, tam Græcorum quàm Latinorum, quam comparationem nullus ſanæ mẽtis reprehẽdet. Omnibus antefertur, nam cùm tres ſint gradus comparationis, poſitiuus, comparatiuus, ſuperlatiuus, non dubium quin ſuperlatiuus omnibus ſuperponatur. Hoc intellige duabus legibus ſeruatis. Eſto prior, Dummodo comparatiuus non poſtponatur ſuperlatiuo, nam tunc comparatiuus plus ſignificat, ut Ariſtoteles eſt doctiſsimus, ſed Plato doctior. Eſto poſterior. Dummodo nomen ſuperlatiuum à comparatiuo non regatur, ut Plato fuit doctior Ariſtotele doctiſsimo, tunc enim comparatiuus plus ſignificat, quàm ſuperlatiuus. Vel abſolutè prolatum, Nam cùm ſuper

lati

latiuus capitur absolutè, æquipollet positiuo & ualde: ut Cicero eloquentissimus, id est, ualde eloquēs. Cæterùm *si capiatur comparatè, æquiualet positiuo, maximè, & ex: ut* Achilles Græcorum *fortissimus, id est, maximè fortis ex Græcis.*

Quot modis construatur superlatiuus.

Superlatiuus quincupliciter consideratur. Absolutè, ubi nullū regit casum, ut doctissimi uiri sic sentiunt. Positiuè cùm casum sui positiui regit, ut Grāmaticæ peritissimus Priscianus. Partitiuè ut digitorū medius est longissimus. Vt autem superlatio partitiua sit, tria requiruntur, Vt comparatio fiat inter plura duobus, Vt fiat inter res eiusdem generis & naturæ, Vt sit conuenientia inter superlatiuum & genitiuum in genere: aliquando tamen huiusmodi concordia non seruatur, ut animalium uelocissimus lepus. Substantiuè, quando ponitur in neutra terminatione: & tunc ex ui superlationis casum nō regit, sed genitiuum ex ui possessionis, ut frigidissimum hominis est cerebrum. Postremò *in propria superlationis natura, & tūc tripliciter construitur.* Cum *genitiuo plurali sine relatiuo diuersitatis, ut* Marcus Varro *Romanorum doctissimus. Aut singulari, si nomen sit collectiuum, ut fortissimus gentis* Danaum. *Est autem nomen collectiuum, quod in singulari multitudinem aut plurium collectionem significat, qualia sunt, concio, turba, gens, populus, plebs, caterua, & similia.* Huic genitiuo non licet addere *pronomen suus: nam ex sententia* Laurentij non *dicitur* Latinè, Hæc *est fortissima suarum sororum*

rum, cùm hæc non sit sua soror, sed locutio fieri debet sine pronomine suus. Præterea construitur cū accusatiuo medijs præpositionibus, Inter, Ante, Super, ut Cicero inter omnes Oratores Romanos eloquētissimus. Hæc eadem oratio per alias præpositiones poterit uariari. Deinde cum ablatiuo medijs præpositionibus, E. De, Ex, ut, ex Græcis fortissimus Achilles. Potest etiam habere ablatiuū ex ui excessus, ut Achilles Græcorum fortissimus quadruplo.

Hæ sunt germanæ cōstructiones superlatiuorum quibus optimi authores quadrifariam sunt abusi. Vel cùm positiuorum formam induunt: quale illud Apuleianum de Deo Socratis, Nullū animal in terris homine postremius. Vel cùm ex dictionibus comparando minimè conuenientibus proficiscuntur, ut ipsissimus, patruissimus, Plautinissimus. Vel cùm minus significant à suo comparatiuo, ut uiro fortissimo fortior sum. Vel cùm ad augendam propriā significationē aliquid extrinsecus assumūt, id quod haud sine maximo fieri uitio potest, proterea quod superlatiua suapte natura, cùm ultimum gradum significent, ultra quem progredi minimè liceat, nihil est, quòd particulas illas intensiuas adiungamus. Cicero lib. 2. de Finibus, Id apprimè rectissimè dicitur, Columella lib. 9. Apis si sæuior, maximè pessima est.

Differentia comparatiui à superlatiuo.

Comparatiuus & superlatiuus sex modis differunt

runt, terminatione, significatione, constructione, resolutione, modo comparandi, cõuersione. TERMINATIONE, Nã cõparatiuus terminatur in, Or & in, us: ut doctior & doctius. Superlatiuus uerò in simus, trimus, llimus, ximus, tremus, & sic de alijs SIGNIFICATIONE. Nã superlatiuus plus significat quàm cõparatiuus, cùm ea sit natura superlatiui, ut eòusq; ascendat, ut nullus progressioni locus fiat reliquus: comparatiuus uerò infra metas cõsistat. CONSTRVCTIONE Nã comparatiuus cum ablatiuo construitur, superlatiuus uerò cum genitiuo: in reliquis constructionibus conueniunt: RESOLVTIONE, Nam si comparatiuus sit comparatus, resoluitur per positiuum & magis, ut doctior te, id est, magis doctus. Si sit absolutus, per positiuum tantùm, ut doctior, id est, doctus. Excipitur senior, quod resoluitur per ualde & senex. Superlatiuus uerò comparatus per positiuum, maximè, & ex: ut eloquentissimus Oratorum, id est maximè eloquens ex Oratoribus. Absolutus uerò per positiuum & ualde ut eloquentissimus, id est, ualde eloquens. MODO COMPARANDI, Nam per comparatiuum fit comparatio ad unum sui generis uel diuersi, & ad plures diuersi generis uel eiusdem, cum relatiuo tamen diuersitatis, per superlatiuum uerò tantùm ad plures sui generis. CONVERSIONE, Nã omnis oratio quæ fit per superlatiuum, conuerti potest per comparatiuum cum relatiuo diuersitatis: ut eloquentissimus Oratorum, eloquentior cæteris Oratoribus. At uerò

quæ

quæ fit per comparatiuum, conuerti non potest per superlatiuum: nam cùm fit comparatio ad unum siue sui generis, siue diuersi, item ad plures diuersi generis, oratio fieri non potest per superlatiuum.

De diminutiuis.

Diminutiua à diminuendo dicta sunt, quòd sui principalis significationem attenuare siue minuere uideantur. Circa quæ quatuor potissimùm explicabo, quid sit nomen diminutiuum, quotuplex sit, quot de causis inuentum, postremò de diminutiuorum terminationibus differam.

Quid sit.

Nomen diminutiuum est, Quod sui principalis diminutionem significat absolutè. Per principale, intellige dictionem primitiuam à qua formatur, ut à soror, sororcula, à frater fraterculus. Dixi absolutè, ad comparatiuorum differentiam: quia comparatiua aliquando minuunt uim primitiui, sed non absolutè, sed comparatè, ut maiusculus, grandiusculus, meliusculus, plusculum.

Quotuplex sit.

Nomen diminutiuum duplex est, qualitatis, & quãtitatis. QVALITATIS, *Quod qualitatẽ tantùm minuit, ut delicatul⁹, cãdidulus, putidulus, & reliqua, quæ ab adiectiuis formãtur.* QVANTITATIS, *Quod diminutionẽ facit quãtitatis, ut à liber libellus, à soror sororcula, ab ense ensicula, et quæ formantur à substantiuis. Distribuitur ad huc diminutiuum in proprium, & improprium. Ad proprium*

& perfectū diminutiuū tria necessaria sunt. Quòd sui principalis significationē cū diminutione seruet, Quòd formam, Quòd genus Quòd si significationē seruauerit cum diminutione, non tamen genus, diminutiuum erit, improprium tamen, ut puluisculum à puluere, bacillum à baculo, conuenticulū à conuentu, terebellum à terebra, epistoliū ab epistola. Quæ uerò genus & formam seruant non tamen suorum primitiuorum significatū cum imminutione, ea nec propria, nec impropria diminutiua censenda sunt, qualia sunt, auunculus, musculus, pediculus, acicula, lenticula, & alia id genus, quæ omnia à suis primitiuis in significatione degenerant.

Quot de causis inuentum.

Fuit autem diminutiuum quatuor de causis inuētum. NECESSITATIS, *ut regulus, nō enim est aliud nomen, quo eum magistratum explicare possimus.* ADVLATIONIS SIVE BLANDIMENTI, *ut corculum, animula filiolus* CONTEMPTVS, *ut homuncio, argutulus, nasutulus, meretricula.* EXTENVATIONIS *ut ingeniolum, opella, munusculum.*

De diminutiuorum terminationibus.

Diminutiua non habent certam rationē qua formari possint, exeunt tamen in uarias terminationes quæ ad octo reducuntur.

In ulus, quæ partim substantiua sunt, partim adiectiua. Quæ substantiua sunt, partim sunt masculina, ut fraterculus, pisciculus uermiculus, partim fœminina, ut sororcula, uirguncula, securicula, partim

neutra, ut munusculum, corpusculum. Adiectiua ut anniculus uernaculus, ridiculus.

In, ellus, quæ formantur à nominibus secundæ declinationis siue substantiuis siue adiectiuis finitis in, er: de sustantiuis, ut à culter cultellus, à liber libellus, à puer puellus. de adiectiuis, ut a tener tenellus, à miser misellus, à sacer sacellus.

In, illus, quatuor sunt substantiua ex sententia Laurentij: duo masculina, palus, paxillus, talus taxillus. duo fœminina, mala maxilla, ala axilla. His tu adde pugillus. Sunt etiam adiectiua, ut à tantus tantillus, a paruus pusillus.

In, aster, diminutiua propriè non sunt, quia non diminutionem, sed imitationem potiùs significant, ut Philosophaster, qui Philosophum imitatur: Antoniaster, qui Antonium. Excipiuntur tria, quæ uera diminutiua sunt, surdaster, qui surdulis auribus est, recaluaster qui fronte caluus est, non toto capite, quasi recaluatulus: palliastrum rude ac uile pallium, qua dictione usus est Apuleius, Ecce Socratem cōtubernalem meum conspicio, sedebat scißili palliastro semiamictus.

In, io, ut à sene senecio, ab homine homuncio, à quo etiam nascuntur tria illa, homulus, homunculus, homululus. neque id mirum, cùm ab uno diminutiuo formari poßint & plura alia, ut à parum paulum, à paulum paululum, à paululum pauxillum.

In, leus ut equus, equuleus. In olus, ut à Sergio Sergiolus, à corona corolla, à pallio palliolum. In, iscus, ut à pan paniscus, à Syro Syriscus: sed hæc for

ma est à nominibus Græcis.

De Relatiuis.

Suo ordine post diminutiua sequuntur relatiua, quæ à referendo, hoc est repræsentando nomen acceperunt, quòd rem antecedentem nobis repræsentare soleant. De quibus primo loco explicabimus quidnam sint, mox ea in suas formas partiemur, deinde tam de relatiuis substantiæ, quàm accidentis singulatim agemus.

Quid sit relatiuum.

Relatiuum est signum rei antecedentis repræsentatiuum. Hoc est, quod rem ante dictam nostro repræsentat intellectui, & ad præsentem eius memoriam nostros animos reuocat. Vnde colliges, relatiuum a re antecedenti pendere prorsus: nam quemadmodum imago in speculo ab eo pendet, cuius imago est, ita relatiuum à re quæ antecessit in oratione. Est autem illud potissimum relatiui munus, ut rem præteritam renouet, & quibusdam quasi nodis & articulis orationem sine fastidio constituat: ne si eadem nomina repetendo inculcaremus, oratio prorsus inconcinna atque inuenusta redderetur.

Quotuplex sit.

Est autem duplex relatiuum, substantiæ & accidentis: relatiuo accidentis in posteriorem locum reiecto, primùm agamus de substantiæ relatiuo. Est igitur relatiuum substantiæ, quod antecedens repræsentat substantiuũ, ut Petrus disputat, qui loquitur: relatiuum qui, Petrum refert. Hoc autem in duas

adhuc

adhuc formas distribuitur, in relatiuum scilicet substantiæ identitatis siue similitudinis, & diuersitatis. Relatiuum substantiæ similitudinis est, quod antecedens repræsentat substantiuum, & pro eodem in oratione accipitur. Vt in superiori exemplo, Petrus disputat, qui loquitur: qui relatiuum est substantiæ identitatis: primùm, quia reddit antecedens substantiuum: deinde, quia pro eodem, quod refert, accipitur. Huius autem generis septem sunt, qui quæ quod, sui, suus, ipse, ille, is, idem. Relatiuum substantiæ diuersitatis est, quod rem diuersam ab antecedenti significat, non genere, aut specie, sed numero, ut uoluo Vergilium, & alios poetas: quo exẽplo significo Vergilium Poetam esse, sed diuersum à reliquis Poetis numero tantùm. Huius generis quatuor tantùm sunt, alius, alter, reliquus, cætera, cæterum. Relatiuum accidentis est, quod refert antecedẽs adiectiuum, ut ego sum humanus, qualis fuit pater. Huius generis sunt undecim, qualis, quantus, quot, quotus, quotennis, quotennarius, quoteni, quotuplus, quotuplex, cuius, cuias. Disputemus igitur primùm de relatiuis substantiæ similitudinis, deinde de relatiuis substantiæ diuersitatis, postremò de relatiuis accidentis.

De relatiuis substantiæ similitudinis.

Inter hæc relatiua primũ locum tenet quis: quod irregulare est, cùm certæ cuiusdam non sit declinationis. Sortitur autem in recto quinque uocès,

quis, qui, quæ, quod, quid: de quibus pauca quædam quo propositæ sunt ordine dicemus. Quis, masculini est generis, olim tamen fœminini etiam erat pro, quæ. Plautus in Aulularia, Dic mihi si audes, quis ea est, quam uis ducere uxorem? Capitur interrogatiue, & infinitè, nunquam relatiuè. Cicero de Amicitia, Quis clarior in Græcia Themistocle? quis potentior? Plinius Iunior, Tum mihi nescio quis in aurem insusurrauit. Capitur etiã admiratiuè. Vergilius. 4. Æneid. Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes? Præter hæc capitur pro qualis: tum in oratione interrogatiua, ut dic mihi quis tibi uideor? id est, qualis. Tum in oratione infinita, ut nescio quis tibi uidear, id est, qualis. Differt ab uter, nam uter de duobus dicitur, & comparatiuo iungitur: quis de pluribus, & adhæret superlatiuo. Quod Quintilianus libro septimo hisce uerbis docet, Ex duobus uter dignior, ex pluribus quis dignißimus. Differt etiam à quis, quando est uox datiui siue ablatiui pluralis, nam in nominatiuo uox illa breuis est, in datiuo longa: item in nominatiuo nunquã relatiuè capitur, in datiuo nihil obstat quominus capiatur relatiuè. Vt da operã uirtutibus, quis inest plurimum lucis & ornamenti.

Qui, capitur relatiuè: ut uideo hominem, qui mihi fuit semper singulare perfugium. Interrogatiuè, Teren. in Phor. Nã qui erit rumor populi si id feceris? Infinitè, nescio qui sis. Capitur pro qualis, Cicero in Antoniũ, Qui uir & quantus fuisses, id est, qualis. Efficitur aliquando aduerbium pro unde aut

quomo

quomodo. Terentius in Andria, Qui scis, id est unde. Horatius in Sermonibus, Qui fit Mecœnas, id est quomodo. Est aliquãdo ablatiuus omnis generis, Cicero in Familiaribus, Nemo est omnium, qui cum potiùs mihi, quàm tecum communicandum putem. Vergil. lib. 11. de Camilla, Qui cum partiri curas, id est, cum qua.

Quæ, capitur relatiuè: ut mulierem uideo, quæ est honesto uultu, & facie liberali. Interrogatiuè, quæ mulier est hæc? Infinitè, nescio quæ mulier illa sit. Capitur pro quantus, quæ humanitas in eo elucet, id est, quanta. Idq; solet contingere non tantùm in recto, sed in genitiuo, ut cuius humanitatis, id est, quantæ. Item in ablatiuo, ut qua humanitate, id est quanta.

Quod tripliciter capitur. Relatiuè, ut consilium quod cepisti, non parum attulit tibi utilitatis. Interrogatiuè quod consiliũ cepisti? Infinite, nescio quod consilium capiam. Differt à quid dupliciter. Tum quia quod, est adiectiuum: quid uerò substantiuum, atq; ita genitiuum regit, ut quid consilij capiã prorsus ignoro. Tum etiam, quia quid nunquam capitur relatiuè, sed aut interrogatiue, ut quid faciam? aut infinitè, ut nescio quid faciam. Fit etiam aduerbiũ pro cur, ut quid taces? id est, cur. Quẽadmodũ & quod, si in compendium redigatur, aut uirgula quadam supernotetur, efficitur coniunctio. aut declaratiua cũ subiunctiuo, ut opinor quòd uirtutis studium sequaris: aut causalis cum indicatiuo, aut subiunctiuo, ut gaudeo quòd scribis, aut scribas.

Quæ hactenus diximus, puerilia sunt, si cum iis quæ supersunt dicenda comparentur, quæ & multò utiliora, & gratiora uestris animis erunt. Triplicē scilicet esse in nomine relatiuo referendi rationem. Aut enim refert certum aliquod antecedens, nomen uidelicet aut pronomen: & tunc cum eo in genere & numero ita conuenit, ut idem prorsus in utroq; appareat & genus, & numerus, ceu dominus qui, uirtus quæ, mancipium quod: cuiusmodi exemplorū referta sunt omnia. Aut non unū aliquod uel nomē, uel pronomen, sed totam aliquam clausulam antecedentem refert, & tunc in neutro genere ponitur relatiuū, quoniam substantiuum est, semperq; resoluitur per hoc nomen res. Cice. ad Lentulū, uidebatur enim reconciliata nobis uoluntas Senatus esse, quod tum dicendo, tum singulis appellandis perspexeram: quod, id est, quā rem. Idem prorsus iudicium est, cùm plures clausulas refert. Plinius Iunior lib. 1. Epistolarū. Est Aciliano facies liberalis, multo sanguine, multo rubore suffusa, est ingenua totius corporis pulchritudo, & quidam Senatorius decor, quæ ego nequaquam arbitror negligenda: quæ, id est, quas res. Tertius postremò referendi modus est interpretatiuus, cùm suum antecedens exponit: in quo relatiuū alicui nomini subsequenti iunctū sit necesse est, quicum & genere & numero & casu semper conueniat. Cicero ad Atticum lib. 5. Inde ad Amanū contendi, qui mons erat hostium plenus sempiternorum. Idem ad Lentulum, Aulus Trebonius confidit his meis literis se apud te gratiosum fore, quæ spes

ne cum

ne eum fallat, uehementer te rogo. De concordia *siue discordia relatiui cum antecedenti, nihil loquimur præsenti loco, quoniam peculiari tractatu de ea re copiosius erit sermo.*

De Reciprocatione sui, & suus.

Quoniam sui & suus (quorum alterum primitiuum est, alterum deriuatiuum) pronomina sunt reciproca; ideò locus hic uidetur postulare, ut pauca quædam de reciprocatione dicamus: quoniam uideo uiros nō uulgariter eruditos nimiùm hac in parte fuisse hallucinatos. Est igitur reciprocatio, eius quod exierat, in seipsum receptio. Quæ fieri solet, cùm his duobus pronominibus sui, & suus utimur: ut unusquisq; amat se, unusquisq; res suas amat. Dicta est reciprocatio, quia sicut reciprocatur spiritus, cùm recipitur, & unda uicißim alluens littus, & Euripus ad pristinum subinde cursum rediens, reciprocus est, ita hæc pronomina, ad id unde prodierant, reuocantur.

Quotuplex sit Reciprocatio.

Tres sunt formæ reciprocationis, iuxta sententiam Prisciani. Prima, *quæ proprio uocabulo reciprocatio appellatur,* Quando *pronomen primitiuum sui in seipsum reflectitur, ut unusquisque amat se.* Secunda, *quæ transitio dicitur,* Quando *fit transitus à possessore in possessionem, ut unusquisque amat res suas.* Tertia *retransitio,* Quando *accedente altero uerbo, à possessore in aliam personam fit transitus, & ab illa ad possessorem, si utamur primitiuo: aut ad possessionem, si deriuatiuo.*

Sit

Sit prioris exemplum, instigat me ille, ut sui potiar: hic fit transitus a possessore in aliam personam, & ab ea ad eundem possessorem, quia utimur primitiuo. Sit posterioris exemplum, rogat me ille, ut suus seruus mihi ministret hic factus est transitus à possessore in alteram personam, & deinde ad seruum rem possessam, quia utimur deriuatiuo.

Quādo vtendum sit reciproco, quando non.

His præmissis, doceamus iam quando utendum sit reciproco, quando non. nam hac una in re est tota argumenti suscepti difficultas. Distinguamus oportet, nam aut relatiuum poni debet in simplici aliqua oratione aut in duabus. Si in simplici, aut in ea est unicum tantùm appositum, aut plura. Si unicum, & ad suppositum referatur, reciproci usus necessarius est: ut Cato amat se. se, ad Catonem refertur, ac propterea reciproco utimur. Si fuerint plura apposita aut relatiuum refertur ad suppositum, aut ad alterum ex duobus appositis. Si ad suppositum siue intercedat coniunctio, siue non utemur perpetuò reciproco. De cōiūctione media sit exēplū, mater tenerrimè amat filios & filias suas: nō eius, aut ipsius. De sublata coniunctione sit exēplum, tuetur hominem Deus propter bonitatem suam. non eius, aut ipsius. Si uerò referatur ad alterum ex duobus appositis & interueniat coniunctio, nunquam utemur reciproco, nisi intercesserit nomen adiectiuum, aut participium, ut cepi leonem, & eius catulos, non suos. Dixi nisi intercesserit nomen adiectiuum, aut participium quia si fortè interuenerit, tunc utemur reciproco,

ciproco, ut accepi ab eo epistolam, ceu obsidem sui erga me amoris. Item Christicolæ accepimus à Deo immensa beneficia et filium ad suam imaginem genitum. Si uerò referatur ad alterum appositum, & non intercedat coniunctio, tunc utemur reciproco, uel non, sine discrimine. Vt amo Deum propter suã bonitatem, uel eius: cepi columbam cum pullis suis, uel eius. Patitur etiam suam exceptionem, quando interuenit pronomen demonstratiuum, aut nomẽ adiectiuum, aut participium, tunc enim utuntur Latini reciproco. De pronomine, ut si uiso amico dixeris, Reduca illum in domum suam, non eius, aut ipsius De adiectiuo. uidi columbã tristem in periculo pullorum suorum. De participio, uideo agricolam serentem agrum suum.

Si in oratione fuerit præpositio Inter, & nominatiuus uel accusatiuus præcesserit utemur semper reciproco. Vt Grammatici quindenis diebus in frequenti Theatro certant inter se. Item, uideo Grammaticos inter se certare. Cùm uerò antecedit genitiuus, datiuus uel ablatiuus, per pronomen ipse potiùs loquimur. De genitiuo, Cicero primo Officiorum, Latissimè patet ea ratio, qua societas hominũ inter ipsos continetur. De datiuo, Idem paulò post, Latissimè patens hominibus inter ipsos societas hæc est De ablatiuo, Quintilianus lib. 10. In magnis quoque authoribus incidunt aliqua uitiosa. & à doctis etiam inter ipsos mutuò reprehensa. Aliquando authores per pronomen sui, locuti sunt. Terent. in Adelphis, Vetus uerbum est, communia esse amicorũ

inter se omuia, Cicero.1. *Officiorum, Multa sunt ciuibus inter se communia.*

Si uerò duæ sint orationes, & appositum posterioris referatur ad suppositum prioris, utemur semper reciproco: ut amicus importunis precibus postulauit, ut ad se irem, non ad ipsum. Cæterùm si referatur ad appositum, nõ utemur reciproco: ut amicus in fidẽ meã filiã tradidit, ut cã marito collocarẽ, non se. Hæc satis sint de reciprocatione. Illud tamẽ non te fugiat, pronomẽ suus aliquando capi pro proprius, & tunc reciprocum non esse: & propterea licere sic loqui, sua est illius natura, suum est illius ingenium, suus seruus est illi turpiter conuiciatus, sua quenq; capit uoluptas. Quomodo loqui non liceret, si reciprocè caperetur, nunquam enim reciprocum pronomen antecedenti adhæret. Quo circà qui sic loqueretur, suũ filium pater suus amat, suũ seruum dominus suus loris cædit, ineptè satis & barbarè loqueretur: sed sine reciproco in principio, filiũ pater suus amat, seruum dominus suus loris cædit.

Ipse.

Ipse pronomen est, quod ad omnes personas refertur: *ipse feci, ipse fecisti, ipse fecit.* Vnde pronominibus *omniũ personarũ iungi solet, ego ipse, tu ipse, ille ipse, idem ipse, hic ipse.* Præterea Emphasim *habet, id est, expresionem alicuius rei latentis.* Teren.in Adelphis, *Ipsa si cupiat salus, seruare prorsus non potest hãc familiam.* Capitur *relatiue,* Idẽ *eadem* Comœdia, *Iste tuus, ipse sentiet posterius. Interrogatiue, est ne ipse, qui fecit? Infinitè,*

nescio

nescio an ipse fuerit. Itē demonstratiuè, ipse est de quo erat sermo.

Ille.

Ille, capitur relatiuè: nūtius rem affirmauit, & ille planè mētitus est. Interrogatiuè, estne ille? Infinitè, ignoro an ille fuerit huius author facinoris. Demōstratiuè: ille est tāti mali seminariū. Habet etiā Emphasim, ut diuinus ille Plato, Architas ille Tarētinus. Differt ab hic, nā si diuersa referāt antecedētia, hic rē magis propinquā refert, ille magis remotā: ut Plato & Homerus sapientissimi fuerūt, hic in poesi, ille uerò in Philosophia. Interdū tamen excellentissimi illi Latinitatis proceres his pronominibus cōtrario modo usi sunt, ita ut hic, ad id quod priori loco positū est, referatur: ille, ad id quod posteriorē tenet locū. Titus Liuius lib. 30. Melior tutiorq; est certa pax, quàm sperata uictoria, hæc in tua, illa in Deorū manu est, hæc ad pacē refertur, illa ad uictoriā. Plini⁹ Iunior lib. 1. Epistolarū, Alius excessisse materia, alius dicitur non implesse, sed ille imbecillitate, hic uiribus peccat, hic refertur ad prius periodi membrum, ille ad posterius.

Is, Idem.

Is & idem relatiua etiam sunt, quemadmodum superiora, ut accepit per hæreditatem grandem pecuniæ summam, & eam siue eandem paucis diebus dilapidauit. Differunt inter se, teste Laurentio lib. 2. Elegantiarum. cap. 5. Nā is desiderat coniunctionē, ut quācunq; in sedem migrat apum Rex, in eam & apes ipsæ comitantur. Idem habet in se uim quandam copulandi, ac protereà non indiget con-

iunctione, ut in proposito exemplo, quancunq; in sedem migrat apum Rex, in eandem apes ipsæ comitantur.

De Relatiuis substantiæ diuersitatis.

Relatiua substantiæ diuersitatis quatuor sunt, alius, alter, reliquus, cætera cæterum: quibus additur à quibusdam residuus. Horum ea est natura, ut genere, numero, & casu cum subsequente semper conueniant, pro quo accipiuntur: deinde ut antecedens referant eiusdem generis, uel speciei cum subsequēte illudq; sub se comprehendant necesse est. Vt expertes rationis equi, boues, & reliquæ pecudes: ubi equi & boues inter pecudes referuntur. At uerò si sic loquereris, expertes rationis equi, boues, & reliquæ aues: falsa esset oratio, cùm equi, & boues inter aues non referantur. In his enim relatiuis diuersitatis, præter orationis congruitatem, necessaria etiam ueritas est.

Alter, Alius.

Alter & alius differunt. Nam alter ad unum de duobus refertur, ut amisit alterum oculum: alius ad unū de pluribus, ut milites interfecti sunt, alius sagitta, alius ense, alius hasta. Aliquādo geminatur alter in diuerso casu, ut alter àlterū contēnit, alter alterū accusat: nō ambo ambos cōtēnunt, aut accusant Ali⁹ capitur etiā pro diuersus, ut alia est facies mea alia est facies tua, id est, diuersa. Vnde nascuntur aduerbia illa, aliâs, aliter, aliôqui, aliâ, aliò.

Reliquus.

Reliquus, præter uulgatam significationem capitur

tur pro superest, siue relinquo. Vt quando tam arcta familiaritate coniuncti sumus, reliquum est, ut officijs certemus inter nos: id est, superest. Itē spem reliquam nullam uideo salutis, id est, relictam: nihil reliqui fecit fortuna, id est, nihil reliquit.

Cætera, Cæterum.

Cæter in masculina terminatione, aut cæterus nō reperitur: quanuis Marcus Cato in Re rustica dixerit cæterus ornatus. In fœminina tamen & neutra, huius uocis frequēs usus est apud authores: inde cæterum, cæterò, de cætero, cæteròqui, aduersantes particulę. Cicero ad Atticū lib. 14. O loca cæteròqui ualde expetenda, interpellantium autē multitudine penè fugiēda. Itē lib. 1. de natura Deorū, Nō enim Poeta suauis, uerùm etiā cæteroqui doctus sapiēsq; traditur. Reliquæ particulæ uulgatissimæ sūt

De relatiuis accidentis.

Vndecim diximus esse relatiua accidētis quæ antecedens habent adiectiuum: inter quæ primas tenet qualis, quod tripliciter sumitur. Relatiuè, ut talis populus, qualis princeps. Interrogatiuè, ut qualis est istorum oratio? Infinitè, ut nescio quali utar uictu ad salutem. Habet antecedentia, talis: & nomina adiectiua qualitatē significantia, qualia sunt, bonus, malus, sapiens, ignorans, candidus, niger, clemens, pius, humanus, & similia: ut hic est humanus, quales parentes eius fuerunt. Per hæc eadē nomina respondemus ad interrogationem factam per qualis, ut qualis esse debet probi hominis oratio? uerecunda, honesta, pudica. Geminatur aliquādo qua

lis qualis, pro qualiscunque: ut qualis qualis sum, in tuo ære totus sum. Capitur pro quātus Macrobius li.1. Saturnaliorum, Paruulus, qualē AEgyptij proferunt. Hinc deducitur aduerbiū qualiter, quod tribus etiam modis usurpatur: & huius antecedentia sunt, taliter, & aduerbia qualitatem significantia, ut bene, male, doctè, sapienter, urbanè, per quæ etiā ad huius aduerbij interrogationem respondemus, ut qualiter uales? malè.

Quantus

Tripliciter sumitur quantus. Relatiuè, ut tantus est pater tuus, quantus Pygmęus. Interrogatiuè quātus est pater tuus? Infinitè, nescio quantus sit pater tuus. Habet antecedentia, tantus, & adiectiua quantitatē significantia, qualia sunt, magnus, paruus, breuis, longus, latus, angustus, grandis & similia: ut lōga est oratio mea, quanta tua. Per hæc eadē nomina respondemus ad huius nominis interrogationē, ut quanta est domus tua? magna, aut parua. Solet geminari quantus quantus, pro quātuscunq;: ut quātus quātus es, nihil nisi sapientia es. Capitur pro quot. Claudianus de raptu Proserpinæ lib.2. Quātas truculentior auster decutit arboribus frondes, id est, quot frondes, siue folia.

Quot.

Quot numerum tantùm habet pluralem, & est indeclinabile, referturq; ad numerum. Capitur Relatiuè, ut habeo decem fratres, quot tu non habes. Interrogatiuè, ut quot habitatores incolunt domum hanc? Infinitè, nescio quot habitatores incolant. Habet

bet antecedentia, tot: & nomina numeralia cardina lia, qualia sunt, unus, duo, tres, quatuor, uiginti, centum, mille, & similia, ut tercentum millia militum desiderata sunt in prælio, quot nunquam occubuisse dicuntur. Per hæc eadem nomina respondemus ad huius interrogationem, ut quot milites perierunt in prælio? Vnus tantũ, duo, aut tres, & sic de reliquis. Geminatur quotquot pro quotcunq; ut gratũ me his omnibus præstabo: quotquot me affecerint beneficio. Hinc proficiscitur aduerbiũ quoties, quod tribus etiam modis capitur. Habet antecedẽtia toties, & aduerbia numeralia à numeralibus cardinalibus deriuata, semel, bis, ter, quater, quinquies: uicies: ut uicies sedi in sella theatrali dicturus, quoties nemo alius. Per hæc eadẽ aduerbia respondemus ad huius aduerbij interrogationẽ: ut quoties orationẽ in Theatro Complutensi habuisti? uicies.

Quotus.

Quotus relatiuè capitur, ut Rector sedet primus in Theatro, quotus nemo alius. Interrogatiuè, ut quotus sedes in mensa? Infinitè, ut nescio quotus sedi in conuiuio. Habet antecedentia nomina numeralia ordinem significantia, qualia sunt primus, secundus, tertius, uigesimus, tricesimus: ut sedeo primus in Ecclesia, quotus tu non sedes. Per hæc eadem nomina respondebimus, quoties per quotus fuerimus interrogati: ut quotus sedet Cancellarius in Theatro? secundus post Rectorem. Capitur pro quot, habetq; eius redditiua, ut quotus uis cœnare? id est, quot? tres aut quatuor.

Hoc idem nomen iunctum cum quisq; numerum denotat, & capitur interrogatiuè, respondemusq; per hæc nomina, nullus, paucus, rarus, ut quotusquisq; inuenietur tanta uirtute uir? nullus, aut pauci.

Quotennis,

Sumitur quotēnis Relatiuè, *ut triennis est fraterculus meus, quotennis tuus non est.* Interrogatiuè, *quotennis est frater tuus? infinitè, nescio quotennis sit frater tuus.* Quærit *de numero annorum, habetq; pro antecedentibus adiectiua annorum in ennis, qualia sunt biennis, triennis, quadriennis, uicennis, tricennis, ut pater meus tricennis est, quotennis tuus non est.* Numeralia *cardinalia cum genitiuo annorum, ut pater meus est triginta annorum, quotennis tuus non est.* Item *adiectiua in imus, ut bimus, trimus, quadrimus, siue bimulus, trimulus, quadrimulus, ut hic puer est quadrimus siue quadrimulus, quotēnis sororcula mea nō est.* Per *hæc eadē nomina responsum dabimus, quoties quis per hoc nomen interrogauerit, ut quotēnis est soror tua?* Biennis, *duorū annorum, bima siue bimula.*

Quotennarius.

Eisdem *modis usurpatur quotēnarius quibus & quotennis.* Habet *antecedentia numeralia finita in arius, qualia sunt, uicenarius, tricenarius, quinquagenarius, sexagenarius, centenarius, quæ significāt multiplicationem earum rerum quæ non nominantur, ut lapis cētenarius, nō quòd sit cētuplus, sed cētum librarū, sic homo cētenarius, nō quòd sit cētum geminus, sed cētū annorū.* Probemus *igitur exēplis*

quotennarius ea numeralia in, arius, referre: ut auus meus centenarius est, quotennarius tuus nõ est. Per hæc eadem nomina respondemus ad quotennarij interrogationem, ut quotennarius est annus tuus? nonagenarius.

Quoteni.

Quoteni uox est inuentu rara, ea tamen usus est Cicero ad Atticum lib. 12. Nescio quotenorum iugerum. Item Columella lib. 6 Quotena semina iugerum. Capitur Relatiuè, ut Monachi ambulant bini, quoteni non presbyteri. Interrogatiuè, ut quoteni ambulant Monachi? Infinitè nescio quoteni ambulent Monachi. Refert numeralia distributiua, qualia sunt bini, terni, quaterni, deni, per quæ nomina respondebimus ad quoteni interrogationem: ut quoteni ambulant fratres? bini: quotenas literas accepisti? ternas.

Quotuplus.

Capitur quotuplus relatiuè, ut habeo duplam portionem, quotupla tibi non obtigit. Interrogatiuè, quotuplam es sortitus portionẽ? Infinitè, nescio quotuplam fueris portionẽ sortitus. Refert numeralia multiplicatiua finita in, plus, quæ significant multiplicationem earum rerum quæ nominantur: qualia sunt, duplus, triplus, quadruplus, centuplus. Per hæc eadem nomina respondemus ad quotupli interrogationem: ut quotuplum accipiet, qui egentibus suas facultates distribuerit? centuplum:

Quotuplex.

Eisdem modis capitur quotuplex, quibus quotu-

plus Quærit de diuersitate, refert adiectiua finita in plex, deducta à nominibus numeralibus, qualia sunt, duplex, triplex, quadruplex, quincuplex, sexcuplex, quæ significant diuersitatem partium siue materiæ: ut habeo uestem duplicem, quotuplicem tu non habes. Per hæc eadem nomina respondemus ad interrogationem quotuplicis, ut quotuplices sunt orationis partes? octuplices. Inde quotupliter, cui respondent aduerbia illa, dupliciter, tripliciter, quadrupliciter.

Cuius

Hoc nomen, cuius, anomalum est, cùm tantùm reperiatur in nominatiuo, accusatiuo, ablatiuo singularibus, & in accusatiuo plurali. Nascitur à genitiuo cuius, & eius significationem habet in omnibus casibus. Capitur Relatiuè, ut hoc prædium est paternũ cuium est & pecus. Interrogatiuè, cuium est pecus? Infinite, nescio cuium sit pecus. Habet antecedentia nomina siue pronomina possessiua, ut hoc pecus est meum, siue paternum, cuia domus non est. Item substantiua siue propria, siue appellatiua in genitiuo positam: ut hoc pecus est Petri, siue patris, cuia non est domus. Per hæc eadem nomina siue pronomina respondebimus ad cuius nominis interrogationem, ut cuium est pecus? meum, paternum, patris, Petri.

Cuias.

Nascitur etiam cuias à genitiuo cuius, inflectebatur olim cuiatis & cuiate. Capitur Relatiuè, ut ego Toletanus sum, cuias tu non es. Interrogatiuè cuias es? Infinite, nescio cuias sis. Refert nostras, ue

stras:

stras: & nomina gentilitia patriam, nationem, seu professionem significantia, per quæ ad cuiatis interrogationẽ respondemus: ut cuias es? patria Toleta*nus, natione* Hispanus, *professione* Grammaticus.

Actum est de relatiuis accidentis, quæ dicuntur identitatis siue similitudinis, quia rem antecedenti similem significant. Ac propterea eorum loco ponere *possumus aduerbia similitudinis: item has duas particulas eiusmodi, istiusmodi.* Vt Orator *est facũdus sicut* Cicero: *eiusmodi, siue istiusmodi* est Cicero. *Sunt & alia diuersitatis quæ rẽ diuersam ab antecedẽti important. Sunt autẽ duo; alteriusmodi, aliusmodi: ut pater honestatis est studiosus, aliusmodi est filius: mater uerecunda est alteriusmodi est filia.*

De Patronymicis.

Post relatiua occurrũt patronymica: quæ à patar patròs, quod patrem significat, & ónoma, quod nomen, deducuntur: quia propriè à nominibus patrum trahuntur. Explicemus *breuiter, quidnam sit patronymicum, quot sortiatur terminationes, quo pacto formetur.*

Quid sit Patronymicum.

Patronymicum nomẽ est, quod à patre deriuatum significat filium uel filiã, nepotem uel neptem, uel aliquẽ ex posteris. Dixi, *quod à patre deriuatum: quia frequentiùs à nominibus patrũ promanat, ut à* Pria*mo* Priamides *Hector filius* Priami. Aliquando *ab auis paternis, ut* AEacides, Achilles, *nepos* AE*aci fuit enim* AEacus *pater* Pelei *patris* Achillis. Ali*quãdo ab auis maternis, ut* Atlantiades, Mercurius

nepos Atlantis: Maia enim Mercurij mater Atlantis fuit filia. Aliquando à matre, ut Iliades, Romulus filius Iliæ. Interdū à filijs, ut Meleagris, Althea mater Meleagri. Interdum à fratribus. ut Phaëtontiades, sorores Phaëtontis. Postremò à regibus siue urbium conditoribus, ut Cecropides, Athenienses à Cecrope Rege: Romulidæ, Romani à Romulo primo urbis Romæ fundatore.

Quot terminationes sortiatur.

Patronymica à nominibus tātum Græcis formantur, neq; enim à Latinis proficisci solēt, nisi Poëtæ metricis legibus adacti ea cogantur formare: nā eorū usus nullus est apud Oratores. Habent quatuor terminationes, quas à Græcis Latini mutuati sunt. Des, ut Priamides, AEneades: quæ masculina sunt, & primæ declinationis. As, ut Ilias, Pelias. Is, ut OEolis, Theseis, quæ fœminina sunt, & tertiæ declinationis. Sunt alia in Ne, ut Nerine, Adrastine, quæ etiam fœminina sunt, & per primam declinationē inflectuntur ut Penelope.

Quo pacto formetur.

Nomina patronymica à nominibus primæ declinationis formātur à genitiuo, æ, finali mutata in, des: ut ab AEneæ, AEneades. A nominibus secūdæ, si genitiuus finiatur in, i, simplici, formātur ab eodē addita, des: ut ab AEaci AEacides. Si in, ij, duplici, posterius uertitur in, a, & additur deinde, des: ut à Menecij, Meneciades. Si in ei cōtractum, ab eodē, addita des: ut Peleus Pelei uel Pelei, Peleides. Si à nominibus tertiæ, à datiuo, addita, des: ut à Nestori Nestorides.

De ad

De aduerbijs Localibus.

Postremum locum occuparũt aduerbia localia, quæ ideò localia dicta sunt, quòd locum significent, in omniq; locorum differentia explicanda tota eorum uersetur natura, Exponamus igitur quidnam sit aduerbium locale, deinde omnes eius differentias percurramus.

Quid sit aduerbium Locale.

Aduerbium locale est, Quod aliquam loci differentiam importat. Sunt autem sex aduerbia locorum interrogatiua, quibus omnem loci differentiam interrogando comprehendimus, ubi, quo, unde quà, quorsum, quousque. Si de loco in quo quærendum sit, utimur aduerbio, ubi, siue ab eo composito, ubinam: ut ubi siue ubinam est Antonius? Si uerò de loco ad quẽ utimur quò, ut quò ꝓficisceris? Si autẽ de loco à quo, huic muneri præstando deseruiet, unde, ut unde uenis? Si de loco per quem, id præstabit aduerbium, quà, ut, quà iturus es? Si de loco quem uersus, id supplebit, quorsum, ut quorsum tendis? Si de loco quem usque, id efficiet quousque, ut quousque iturus es? Has duas postremas locorum differentias Nebrissensis numerauit inter aduerbia significantia locum ad quẽ. De singulis igitur aduerbijs, eo ordine, quo proposita sunt, disseramus.

De Vbi, siue Vbinam.

Vbi & ubinam quærunt de loco in quo, & capiũtur tribus modis. Relatiuè, ut ego totam Italiam peragraui, ubi tu nunquam pedem posuisti. Interrogatiuè, ut ubinam fecisti Latinitatis tyrocinium? In

sime uideamus, nos tamen de usu, non de abusu loqui mur. Cicero *ad atticum lib.16. Malo cum timore do mi esse, quàm sine timore* Athenis *tuis.* Liuius *lib. 29. Scipio Syracusas nondum tranquillas uenit.* Itē Cicero in Philippicis, *profectus ad mutinam est.* Idē *in familiaribus.* Cùm *ab* Athenis *proficisci in animo haberem: & alia sexcenta sunt exempla, quæ breuitatis causa prætermitto.* Si *uerò per aduerbia uelis respondere, uteris his, hic, isthic, illic, sicubi, ne cubi, alicubi, & similibus.*

De Quò.

Quò *quærit de loco ad quem.* Capitur *relatiuè, ut nullus est orbis angulus tam reconditus, quò huius fama non peruenerit.* Interrogatiuè, *quò proficisce ris?* Infinitè, *quò proficiscaris nescio.* Ad *interroga tionem per quò, aut respondemus per nomina, aut per aduerbia: si per nomina, aut propria, aut appel latiua.* Si *propria sint, cuiuscunque fuerint declina tionis & numeri, ponuntur in accusatiuo absq; præ positione: ut si quis roget: quò proficisceris?* Respō *debis,* Complutum, *Salmanticam,* Romam, *Burgos,* Athenas. Si *sint uirorum propria, locantur in accu satiuo cum, ad, ut ad* Petrum, *ad* Ioannem.

Si *sint appellatiua, aut propria regionum siue prouinciarum, ponuntur in accusatiuo cum præpo sitione,* In, *uel,* Ad *ut ad ciuitatem, ad agrum, in syl uam, in* Galliam. Excipiuntur *duo appellatiua, rus, & domus: quæ normam propriorum sequuntur, & in accusatiuo collocantur sine præpositione: ut eo rus, domum.* Nec *te perturbet, si uideris aliquando*

præposi-

præpositiones appositas esse nominibus proprijs, ut in eo Ciceronis in Verrinis, Hodie Verres ad Messanam uenturus erat. Item in illo Cæsaris in.6. de bello Gallico, Cõsilium in Lutetiam Parisiorum transfert. Nos enim de his præcepta tradimus, quæ sunt ab authoribus frequentiùs usitata, Si uerò respondeas per aduerbia, respõdebis per ea quæ significant locum ad quem, qualia sunt, Huc, isthuc, illuc, si quò, nequò.

De Vnde.

Vnde significat locũ à quo, Capitur Relatiuè, ut ab urbe ueni tribus horis, unde tu eodem temporis spatio nunquam uenire potuisti. Interrogatiuè, unde uenis? Infinite, nescio unde uenias. Ad interrogationem per unde, aut respondemus per nomina, aut per aduerbia, si per nomina, aut propria, aut appellatiua. Si sint propria, ponũtur in ablatiuo sine præpositione, cuiuscunque fuerint declinationis, & numeri, ut unde uenis? Toleto, Salmãtica, Burgis, Parisijs. Quòd si sint propria uirorum, ponuntur in ablatiuo cum, à, ut unde uenis? à Petro, id est, à domo Petri.

Si uerò respondeamus per appellatiua, aut propria prouinciarum, ea ponemus in ablatiuo, interiectis his præpositionibus, à, ab, è, ex, de. Vt à Tyberi, ab Olympo, e prædio, ex Italia, de urbe. Excipiũtur duo appellatiua, rus, domus, quæ in ablatiuo sine præpositione ponuntur more propriorum, ut rure, domo. Si per aduerbia respondere placeat, respondebis per ea quæ significant locũ à quo, qualia sunt,

hinc,

hinc, isthinc, illinc, alicunde, necunde, sicundè, & si milia.

De Quà.

Quà quærit de loco per quem. Capitur *Relatiuè ut ego hac profectus sum, quà tu nõ.* Interrogatiuè, *quà iturus es?* infinitè, *nescio quà sis iturus.* Ad inter rogationẽ per quà, aut respõdemus per nomina, aut per aduerbia: si per nomina, aut per propria, aut per appellatiua. Si per propria, cuiuscunq; sint de clinationis & numeri, loquemur per ablatiuum, ut Roma, Toleto, Burgis, Parisijs. Si per appellatiua, aut propria prouinciarum, per accusatiuum, cũ Per: ut per forum, per Galliã, per Germaniam. Excipiuntur rus, domus, quæ in ablatiuo ponũtur more propriorũ. Si per aduerbia, per ea respõdebis quæ significant locum per quem, qualia sunt, hac, isthac, illac, siquà, nequà, rectà.

De Quorsum.

Quorsum quærit de loco, quem uersus. Capitur Relatiue, *ut tendo Complutum uersus, quorsum tu non tendis.* Interrogatiuè, *quorsum tendis?* Infinitè *ignoro quorsum tua uerba tendant.* Ad interrogationem per quorsum, aut respondemus per nomina, aut per aduerbia. Si per nomina, siue propria siue appellatiua sint, per accusatiuum cum uersus respondebimus. Vt quorsum tẽdis? Megaram uersus Italiam uersus. Item cum præpositione, Ad, in principio: ad Cordubam uersus, ad Germaniã uersus. Si per aduerbia, per ea quæ finiuntur in orsum respondebis: qualia sunt, horsum istorsum, illorsum, si ni-

nistrorsum, dextrorsum, sursum, deorsum & simi lia.


De Quousque.

Quousq; quærit de loco quem usq;. Capitur Relatiue, ut iter feci Toletum usque, quousque tu nō fecisti. Interrogatiuè, quousque iter fecisti? Infinitè, nescio quousque iter feceris. Ad interrogationē per quousque, aut respōdemus per nomina, aut per aduerbia. Si per nomina siue appellatiua, siue propria, loquemur per accusatiuum cum præpositione usque: quæ semper postponitur, quemadmodum & uersus, ut quousque iter fecisti: Italiam usque, Romam usque. Item per usque & adusque ad Numātiam, usque ad Cumas. Si per aduerbia, per ea quę terminantur in, usque: responsum dabimus, qualia sunt, hucusque, isthucusque, illucusque, & hactenus. Atque de aduerbijs localibus hæc quidem satis. Si in his in quartum Nebrissensis commētarijs quid præcepimus, quod ex studiosæ iuuentutis usu esse poßit in Deum optimum maximum, ceu in bonorū omniū fontem referatur. Si uerò inter dictandum, uerbum aliquod temerè excidit, in quo aliqua falsitatis species eluceat, nobis adscribatur: qui cùm homines simus, non possumus humanæ ignorationis legibus non esse subiecti.

FINIS.

TRACTATVS

DE CONCORDANTIA, RE
gi nine, & figuris cōstructionis. Cōposi
tus à magistro Alfonso Torres Tur
riculano, amplissimi diui Isidori
collegii patrono, & eloquētiæ
professore in Academia
Complutensi.





COMPLVTI.

¶ Apud Ioānem à Villanoua. Anno 1569.

EL licenciado Lopez de Salas, juez y Vicario general enla co te de Alcala y Arçobispado de Toledo. &c. Por la presente doy licencia para imprimir este libro porque consta estar visto y examinado. Fecha en Alcala a dos de Septiembre de 1569. Años.

El Licenciado Lopez de Salas.

Christoual dela Flor notario.

TRACTATVS de Concordantia.



RINCIPIO COMmentariorum diximus duo accidere syntaxi siue constructioni, concordãtiam, & regimẽ, de quibus nos peculiari tractatu disputationem suscepturos promisimus. Nunc igitur fidẽ nostram liberemus necesse est, ne quis nos in promissi uiolati crimen iure uocare possit. Primùm igitur agemus de concordantia, deinde de regimine.

Quid sit & quotuplex concordantia.

Concordantiam à concordando dictam esse, tam est omnibus in confesso, ut nullus in re tam facili dubitare possit. Nam quemadmodum qui unius cordis & mentis sunt, eisdem uoluntatum affectionibus inter se consentiunt: ita partes orationis quando inter se aptè copulantur, sibiq; ipsis uicissim in genere, numero, casu, aut persona respõdent, concordare dicuntur: sin minus, discordare. Est igitur cõcordantia, Debita partium orationis cõuenientia in genere, numero, casu, uel persona. Ex qua definitione colligitur triplex concordantia, quæ nõ tantùm sermonis Latini propria, uerùm omnibus linguis etiã communis, & quodammodo naturalis est: contra

quam si quis peccauerit, non tantùm indoctus, sed planè barbarus habeatur. Prima est nominatiui & uerbi in duobus tantùm accidentibus; numero scilicet & persona Hoc est, quòd nominatiuus & uerbum debent esse eiusdem numeri & personæ ut ego disputo, tu garris, ille obmutescit. Secunda est adiectiui & substantiui in tribus accidentibus, genere, numero, casu. Hoc est, quòd utrunque sit eiusdem generis, numeri, & casus: ut uir probus, fœmina honesta, templum sacrum. Tertia est relatiui & antecedentis, in tribus etiam accidentibus, genere, numero, & persona. Hoc est, quòd ambo sint eiusdem generis, numeri, & personæ, ut ego iuuentutem erudio, qui Latinitatis præcepta publicè trado. Tu euades doctus qui perpetuò studes. Ille graue scelus cõmittit, qui alieno detrahit honori. Nã licet relatiuũ per se nullius sit personæ, cum primùm antecedenti iungitur, antecedentis personam capit.

De discordantia verbi à nominatiuo.

Egimus de tribus concordantiæ præceptis, reliquum est, ut disseramus de eorundem disconuenientia. Ac primùm percurramus modos, quibus uerbum à nominatiuo discordare solet. Notabis tamen prius in oratione non figurata perpetuam esse uerbi cum nominativo conformationem in numero, & persona. Cæterùm si oratio figurata sit, aliquãdo numeri, aliquando psonæ seiunctione inter se dissident: idq; potissimùm quinq; de causis cõtingere uidemus. Prima per Euocationẽ figuram, ut ego Alfonsus lego: ubi

ubi uerbum lego primæ personæ, discordat à nominatiuo Alfonsus, qui est tertiæ personæ Excusatur tamen hæc improprietas quoniam persona euocans reducit ad se personam euocatam ac uerbum in oratione nobiliori respondere debet prima nanque persona nobilior est secundâ, secunda tertiâ.

Secunda per Prolepsin, ut scholastici student, hic Grammaticæ, ille uerò Dialecticæ: ubi hic & ille nominatiui singulares discordant à uerbo plurali student Excusatur tamen id uitij, quoniam uerbum expressè conuenit cum toto, subintellectè cum partibus.

Tertia per Syllepsin, ut ego & tu diligenter studemus in qua oratione uerbum plurale discordat à nominatiuis singularibus, discrepat etiam in persona, à tu, pronomine secundæ personæ Est tamen excusabilis oratio, quia prima persona concipit secundam, & quia duo singularia uni æquipollent plurali.

Quarta per Zeugma, ut ego & tu scribis: ubi scribis cum ego non conuenit in persona. Excusari tamen oratio potest, quoniam uerbum in Zeugmate conuenit cum propinquiori supposito expreßè, sub intellectè tamen cum remotiori.

Quinta per Synthesin, ut pars in frusta secant, uterq; graues inimicitias exercent, aperite aliquis: ubi uerbum disconuenit prorsus à nominatiuo. Excusantur tamen huiusmodi orationes, quia uerbum nõ cũ uoce, sed cũ significatu cõcordat. Habẽt enim illud peculiare nomina collectiua, distributiua, parti

cularia, ut in singulari numero multorum significēt collectionem.

De adiectiui à substãtiuo discordia in genere.

Adiectiuum & substantiuũ (ut in secunda concordãtia explicuimus) in tribus conueniunt, genere, numero, & casu. Quod de reliquis adiectiuorum formis, præter quàm de partitiuis intelligendum est. Partitiua enim cum substantiuo concordare non solent, sed elegantiùs illud regere in genitiuo: ut aliquis scholasticorum, una sororum. Item intelligi debet, dummodò substantiuum & adiectiuum ab eodem uerbo regantur, nam si à diuersis regi contingat, in casu minimè conuenient. Vt in eo Horatij in Epodo ode secũda. Quis non malarum, quas amor curas habet, hæc inter obliuiscitur? Vbi malarum est in genitiuo, curas in accusatiuo: quia malarum regitur à uerbo obliuiscitur, curas à uerbo habet. Illud postremò aduertes, nomen adiectiuum inter duo substantiua diuersi generis cum sequenti concordare: ut fœmina imperiosum animal. Quòd si duobus substantiuis postponatur, cum propinquiori conueniet, ut fœmina animal imperiosum. Quod etiam hoc exemplo manifestum fiet, Philosophia suauißimum animorum pabulum, uel philosophia pabulum animorum suauißimũ. Si uerò participium uerbi reciproci, aut uocatiui, in medio duorum substantiuorum collocetur: cum antecedenti, non cum sequenti conueniet, ut Cicero dictus Romana musa. Si ambobus postponatur, cum alterutro conformabitur. Cum priori, Iustinus, Semiramis sexum mẽtita puer credita est. Cum posteriori,

riori, Liuius lib 1. Decadis primæ, Gens uniuersa Veneti appellati. Explicato igitur in hūc modum secundæ concordantiæ intellectu adiectiuum à substantiuo septem modis in genere disiungi solet. Primò per synthesin, aut quando adiectiuum ad significatum substantiui, non ad uocem refertur: ut pars arduus, magna pars uulnerati. Aut quando ad uocem, non ad significatum, ut Petrus dißyllabum. Aut quā do adiectiuum non cum abstracto, sed cum concreto concordat. Terentius in Eunucho. Quin etiam insuper scelus postquam ludificatus est: ubi scelus pro scelerato capitur, cum quo ludificatus concordat.

Secundò, quando adiectiuum substantiuè ponitur in neutra terminatione, ut triste lupus stabulis, dulce satis humor. Et tunc adiectiuum aut exponitur per res, ut res tristis, aut dulcis: aut per pars, ut infimū hominis pes, id est, infima pars hominis: aut per abstractum, ut obseruantißimus æqui, id est, æquitatis.

Tertiò per Syllepsin, ut maritus & uxor casti, tunc enim masculinum genus fœmininum concipit.

Quartò, causa distinguendi sexus, ut anser fœta elephantus grauida. Nisi uelis dicere, quod ratione generis promiscui, sub genere masculino sint utriusque sexus.

Quintò, quando sub uoce minùs communi intelligitur magis communis, ut præneste sub ipsa: pronomen ipsa non conuenit cum Præneste, quod est generis neutrius, sed cum ablatiuo urbe commu-

niori.

Sextò, quando sub uoce communiori, minus communis intelligitur. Ouid. 13. Metam Hoc pecus omne meum est, multæ quoque uallibus errant: intelligitur oues, quæ uox non tam communis est quàm pecus.

Septimò antiquorum authoritate. Ennius, aëre fulua excusatur, quia olim aer generis erat ambigui, nunc uerò in genere masculino tantùm usurpatur.

De discordantia Adiectiui in numero.

Discordat etiam adiectiuum à substantiuo in numero, quatuor modis. Primò, per interposita participia, absenti & præsenti. Terentius in Eunucho, Nescio quid profectò absente nobis turbatum est domi. Næuius, uolumus dono dare præsente omnibus. In quibus authoritatibus adiectiua absente & præsente, discordât à nobis in numero. Habet tamē hoc uitium suam excusationem, ex sententia Donati in eum locum Terentianum: aut quia præsente & absente olim præpositiones ablatiui fuerunt, sicut clā: aut quia fuerunt monoptotæ inflexionis, & pro omni casu una eademq; terminatione fungebantur.

Secundò, per Synthesin: aut quando utimur nomine collectiuo, ut pars in carcerem acti, pars bestijs obiecti. aut distributiuo, ut utraque formosæ.

Tertiò, per Syllepsin, quando scilicet pluralis numerus singularem concipit, ut ego & tu studio-

diosi.

Quartò per prolepsin, ut digiti suos quisque ar ticulos habent: excusatur, quia uerbum attribuitur toti expresse: deinde partibus per supplementum.

De discordantia adiectiui in casu.

Postremò discordat adiectiuum a substantiuo in casu quinque modis. Primò cum pronominibus pos sessiuis, ut Cice. *ad* Atticum, *Solius enim meum pec catum corrigi non potest. Ex tuo ipsius animo con iecturam facito. Mea unius opera Resp, in pristi- num nitorē restituta est. Excusantur huiusmodi lo- cutiones, quia unius, ipsius, solius, non ad pronomi na possessiua, sed ad genitiuos antiquos, mis, tis, sis, referuntur, qui iam ex usu recesserunt, & in corū locū possessiua pronomina substituta sunt.*

Secundò, ob peculiarem uerborum accusandi cō structionem, ut accusas ne hunc furti, an sacrilegij, an de utroque?

Tertiò, propter tacitum regimen: ut expedit nobis esse honestas.

Quartò, cùm adiectiuum efficitur substantiuum in neutra terminatione, tūc enim adiectiuum substā tiuum regit in genitiuo: ut plurimū negotij, aliquid mali siue infortunij.

Quintò, per Antiptôsin, *cùm scilicet casus pro casu ponitur: ut, Vrbem quam statuo, uestra est.*

De discordantia relatiui ab an tecedenti.

Relatiuum & antecedens (ut in tertia concordãtia aperuimus) in tribus conueniunt, genere, numero, & persona. Quod de relatiuis substantiæ identitatis siue similitudinis intelligi debet, qualia sunt, qui, sui, ille, ipse, is, idem. Nã relatiua substantiæ diuersitatis, cuius generis sunt, alius, alter, reliquus, cætera: itẽ relatiua accidentis, cuius formæ sunt, qualis, quantus, quotus, quot, quotuplus, quotuplex, & similia, non cum antecedenti, sed cum sequenti cõcordant. Vt uideo Laurum & cæteras arbores mater tua tanta est, quantus est gigas. Horatius tamen in Epodo, relatiuum accidentis ad antecedens retulit, Sed incitat me pectus, & mammæ putres: equina quales ubera. Verùm hęc autoritas intelligẽda potius est, quam usurpãda: nos enim nõ quales, sed qualia diceremus. Quod de relatiuis diuersitatis, & accidẽtis tradidimus: intelligendum etiam est de relatiuo reciproco suus, quod non cum antecedenti sed cum sequenti conuenit: ut mater tenerrimè amat filios suos. Notabis præterea, pręceptum hoc concordantiæ relatiui & antecedentis, intelligi debere, dũmodò post antecedens sequatur relatiuum: nam si præcesserit, conuenit etiam in casu cum antecedẽti, ut quas ad me dedisti literas, perlegãtes erant. Cuius ratio est, quia tunc relatiuum & antecedens ab eodem uerbo reguntur. Id autẽ non tantùm per accusatiuum, ut in exemplo proposito uidere est, sed per reliquos casus fieri potest. De nominatiuo sit exemplum. Quæ literæ mihi traditæ sunt, elegantiæ plenæ erãt. De genitiuo, Cuius misereor pauperis,

probus

probus est. De datiuo: Cui operam das disciplinæ, nõ parum adferet lucri. De ablatiuo Quo utor præceptore uaria literatura præditus est.

Postremò aduertes relatiuum, qui, si ponatur inter duo nomina appellatiua, ad utrunq; referri posse: ut est animal rationis particeps, quod appellatur homo, uel qui appellatur homo. Sed si eorum alterum sit proprium, ad illud relatiuum referri debet. Sallustius in Catilina. Est locus in carcere: quod Tullianum appellatur. Aliquando tamen cum appellatiuo concordat. Liuius, Herculi sacrificium fecit in eo loco, quem Pyram appellant. In Appositione figura, siue cum appellatiuo, siue cum proprio conuenire potest. Suetonius in Iulio cap. 31. Cõsecutusq; cohortes ad Rubiconem flumẽ, qui prouinciæ eius finis erat: dicere posset, quod.

De discordantia Relatiui ab antecedente in genere.

His igitur prægustatis, relatiuum ab antecedenti quinq; modis genere dißidet. Primò, per Synthesin. Aut quando refert significationem, non uocem: ut O uerè digna hostia, per quem fracta sunt tartara: ubi hostia capitur pro Christo, ad quem relatiuum refertur. Aut quando uocẽ, non significationẽ refert: ut præterquàm ego, quod est primæ. Aut quãdo substantiuũ capitur pro adiectiuo. Terentius Vbi est scelus qui me perdidit, id est, sceleratus.

Secundò quando refert totam orationem. Terẽtius, Qui habet salem quod in te est.

tertiò, causa distinguendi sexus, ut anser, quæ in-

incubat ouis: ubi anser capitur pro fœmina, nõ pro mare.

Quartò gratia supplemẽti: *ut habitas Præneſti, quæ alto loco ſita eſt. intelligitur urbs.*

Quintò antiquorum authoritate *Plautus in Aularia. Quis ea eſt, quam uis ducere uxorem? Excuſatur, quia quis olim fuit tam maſculini, quàm fœminini generis.*

De diſcordantia Relatiui in numero.

Præterea diſcordat relatiuum ab antecedenti in numero, quatuor modis. Primò, per Syntheſin. *Aut quando refertur ad ſignificationem, & non uocẽ.* Terẽt. *in* Andria, *Omnes laudare fortunas meas qui gnatũ haberẽ tali ingenio præditum : ubi meas pro mis capitur, ad quem refertur relatiuum.*

Aut quãdo antecedẽs eſt collectiuũ: ut, Hic popu*lus labijs me honorat, cor autẽ eorũ longe eſt à me.*

Secundò, *per* Sylleſin, *quando relatiuum eſt in genere neutro, & concipit ſubſtãtiua res inanimes ſignificantia. Vt, Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt.*

Tertiò, *quando fit ſubſtantiuum in neutra terminatione. Salluſtius in Catilina. Repudiabat ſeruitia cuius ad eum magna copia uenerat. Cuius pro cuius rei, dixit: aliqui codices habent quorum.*

Quartò gratia *ſupplementi.* Terentius *in Eunucho, Eunuchum dixti, uelle te: quia his ſolæ utuntur reginæ: intelligitur delitijs.*

De concordantia Relatiui in perſona.

Diſcrepat poſtremò relatiuũ ab antecedenti in

per

persona. viuite felices, quibus est fortuna peracta iam sua: dicere debuisset, uestra. Itē in Cātico triū puerorū, Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt. Domino: dicere debuißet, quæ super cœlos estis. Vtrobiq; enim tertia persona pro secūda posita est.

Præter has concordantias, ponitur etiam inter quærentem & respōdentem concordantia in casu: ut quot annos dedisti operam Theologiæ? quatuor annos. Est etian concordantia in casu, in coniūctionibus copulatiuis, ut Petrus & Iannes. Illud enim proprium est coniunctionibus copulatiuis, ut casus similes copulent. Hæc de concordātia, nunc ad regiminis disputationem accedamus.

TRACTATVS DE regimine,

ACtum est de priore Syntaxeos accidenti, reliquum est, agamus de posteriore, hoc est de regimine, quod à regendo nomē accepit. Nam quēadmodū in ciuitatibus uidemus alios principes esse, & rerum publicarum regere gubernacula, alios inferioris notæ homines, & procerum imperio subiectos: ita in oratione aliæ partes regere dicuntur, aliæ uerò regi. Complectamur igitur quatuor articulis totam regiminis materiam, Quidnam sit regimen, quotuplex sit, quæ partes orationis regāt, quæ uerò regantur, postremo loco erit de singulis casibus disputatio.

Quid

Quid sit Regimen.

Regimen uariè a uarijs Grammaticis definitur. Alij in hunc modum finiunt. Regimen est, dictionē unam appendicem esse alterius, ut ibi ordine cōstructionis aliquid significet. Alij sic: Regimen est dictionem dictioni imperare, ut sit in tali loco, hoc est, in hoc aut illo casu, hoc aut illo modo siue tēpore. Verùm neutra definitio mihi placet, quia ex utraque sequeretur omnes partes orationis regere simul et regi, quia aliæ ab alijs dependēt in oratione, aliæq; alijs imperant, præter coniunctionem, quæ ab alijs partibus orationis non dependet. Quare tradamus tertiam definitionē, quæ mihi multò magis arridet. Regimē est certi casus exigentia, de casus natura nihil amittētis. Quæ definitio duas habet partes. Prior est, certi casus exigentia: hoc est, proprietas quædā, qua uerbum actiuum accusatiuum regit, & reliqua genera uerborū reliquos casus. Posterior est, de casus natura nihil amittentis: hoc adiectū est propter casus aduerbialiter positos, qui ferè totam naturam casus & nominis amittunt, cùm neq; adiectiua, neque præpositiones in consortiū admittant. Nō enim dicimus, eo Romam pulchram, aut eo in Romā: quāuis authores sic fuerint aliquando locuti, ut in aduerbijs localibus manifestò satis cōmonstrauimus. Ouidius in Phyllide, Atq; aliquis doctus iam nunc eat, inquit, Athenas.

Quotuplex sit.

Regimen triplex est, actiuum, paßiuum commune. Actiuum est dictio regens, ut in hac oratione, uol

uult semper libros: uoluit, regimen habet actiuum, quia regit accusatiuum. Passiuum est dictio recta: in eadem oratione libros regimen habet passiuũ, quia regitur a uerbo uoluit. Commune, est dictio quæ regit & regitur simul. ut in hac, uoluit semper libros Ciceronis: libros commune habet regimen, quia regitur à uerbo uoluit, & regit genitiuum Ciceronis. Hic agitur de regimine passiuo, nam actiuum & commune in libro Quarto proprium habent locum.

Quæ partes orationis regant, quæ regantur.

Sed iam uertamus in quæstionem necesse est, quę partes orationis regant, quæ uerò regantur. Quæstio duo habet membra, alterum quæ partes orationis regant: alterum quæ regantur. Prius duplicem intellectum habere potest. Alter est, ut sic generaliter & confusè quæras. Quæ partes orationis regant: ita ut non te solicitet ea cura, utrùm regantur, an nõ. Et sic nulla est pars orationis, quæ non regat, præter Coniunctionem. Id exẽplis puerilibus illustremus: de nomine, liber Petri, de pronomine, id ætatis, de uerbo, amo Deum, de participio, amans Deum, de præpositione, in umbra, de aduerbio, nusquam gentium, de interiectione, hei mihi. Dixi præter coniunctionem, quia coniunctio nullum regit casum, neque aliũde regitur, sed est ueluti nodus quidam & uinculum orationis, cùm illud sit eius in oratione munus, ut partes partibus connectat & copulet. Si obiicias nobis Vergilianũ illud ex sexto AEneid. Quæ regio Anchisen? quis

habet locus? Illius ergô uenimus. Vbi ergo illatiuâ cõiunctio genitiuũ, illius, regit. Respondeo, ibi ergo coniunctionẽ non esse, sed uices nominis gerere: capitur enim pro causa, atq; ita genitiuũ regit, non quatenus coniunctio, sed quatenus nomẽ est. Si obijcias adhuc, in hac locutione. Odit tũ literas, tũ uirtutẽ, coniunctionẽ, tũ secundo loco positã regere accusatium uirtutẽ. Respodeo cõiunctionẽ, tũ nõ regere eum accusatiuum, sed casum precedẽti similem copulare: non est enim munus cõiunctionis regere, sed copulare. Verùm potest esse alter sensus quæstionis, Quæ partes orationis regant tantũ; ita ut ab aliis non regantur. Et sic quatuor partes orationis regũt tantùm uerbũ, aduerbiũ, præpositio, interiectio: ut superioribus exemplis patère potest. Verbũ enim cùm sit totius orationis forma, totius etiã orationis partes moderatur, ita ut earum nulla imperium supra uerbũ exercere poßit: est enim proprium formæ imperare, materiæ uerò imperari. Hanc uerbi naturam sequntur reliquæ tres partes, quibus proprium est ita regere, ut aliunde non regantur.

Alterum membrum erat, quæ partes orationis regantur. Hoc etiam duos intellectus habere potest Alter est, Quæ partes orationis regantur tantùm, ita, ut non regant: & sic nulla est. Non dubium tamen, quin pars aliqua regi poßit in oratione, ita ut non regat actu, potest tamen regere. Alter uerò sensus est, Quæ partes orationis regantur, ita tamen ut simul regant. Et sic tres sunt partes

orationis, nomen, pronomen, participiũ. De nomine sit exemplum, furatus sum supellectilem uicini: hic supellectilem regitur à uerbo furatur, & regit genitiuum uicini. De pronomine, id ætatis est: id regitur ab est & ætatis à pronomine id. De participio, diligo amantem Deum, amantem regitur à uerbo diligo, & regit accusatiuum Deum. Explicata est à me quæstio perspicuè satis, quæ à quibusdam præceptoribus inuolutè nimium & obscurè traditur. Quæ tamen aliter sic absoluetur. Ex partibus orationis sola coniunctio nec regit nec regitur: cæteræ indeclinabiles regunt, & non reguntur. Ex partibus uerò declinabilibus, solum uerbũ regit & non regitur: & solum ex omnibus regit utrinque tã ex parte anteriori quam ex parte posteriori. Reliquæ uerò declinabiles, regunt & reguntur: à uerbo reguntur utrinque, à reliquis à parte posteriori.

De regimine nominatiui.

Actum est de regimine in communi, restat ut ad singulos casus descendat nostra disputatio: & primùm disseramus de nominatiui regimine. Qui à Grammaticis & primus casus dictus est, quòd inter cæteros casus primũ teneat locum: & nominatiuus quòd sit prima uox, qua rem aliquam nominamus: & rectus, quòd à nullo cadat, cùm cæteri casus obliqui nuncupẽtur: cùm à recto ceu à capite quodam communi cadant. Excipio uocatiuum, qui rectus etiam appellari solet, aut quòd nominatiuo plerũque similis eße soleat, aut quia à uerbo nunquan dependet, ut communis est Grammaticorum sententia ue

rùm quatenus unum caput cum reliquis obliquis rè ſpicit, obliquus etiam appellabitur. Hæc de appellatione. Nũc differamus quid nam ſit nominatiuus, & quotuplex, & (quod magis præcipuum eſt) à quot partibus orationis regatur.

Quid ſit Nominatiuus.

Nominatiuus eſt primus caſus, qui rem nominat abſolutè, citraq; omnem circunſtantiam, à quo cæteri dependent caſus Primus caſus: reſpectu aliorũ, quibus ſecundus, aut tertius, aut quartus, aut quintus à primo locus fortuna quadam contigit. Qui rẽ nominat. Quòd per eum rem nominare ſoleamus, nam per cæteros caſus non fit rerũ nominatio: ſed in his aut qui rem aliquam poßidet, aut cui confertur beneficium, aut quẽ criminis alicuius accuſamus, aut quem uocibus compellamus, aut à quo aliquid auferimus, aut rerum gerendarum inſtrumenta collocantur. A quo cæteri dependent caſus. Nã omnes caſus à nominatiuo ſui generis ducunt originem: ſi enim nominatiuus nunquam fuiſſet, nec reliqui caſus eſſent, quorum tota ſubſtantia à nominatiuo dependet. Exceptis tamen defectiuis, ut tabi & ſui.

Quotuplex ſit.

Eſt autem nominatiuus triplex, agentis, patientis, reciprocus. Agentis eſt, à quo exit actio uerbi. Hunc uero regunt omnia uerba actiua, neutra, deponentia, communia actionem ſignificantia, ut ego amo, tu rides, ille loquitur, & criminatur te. Omnis ergo nominatiuus, ſiue ille ſit rei ſiue perſonæ

ſonæ, ſi anteceßerit uerbum actiuæ ſignificationis, dicetur agentis. Patientis eſt, in quem migrat actio uerbi. Hunc regunt omnia uerba paßiua, neutra, deponentia communia paſsionem ſignificantia: ut Deus amatur, diſcipulus uapulat, tu ortus es ab honeſtiſsima familia, ille ab amico ſibi chariſsimo criminatur. Omnis igitur nominatiuus ſiue rei ſiue perſonæ, ſi anteceſſerit uerbũ paſsiuæ ſignificationis, dicetur patientis. Reciprocus eſt, qui à uerbis regitur reciprocis. Hunc regunt quadruplicia uerba, Subſtantiua primùm uel quaſi ſubſtãtiua, ut Deus eſt ſummum bonum, extat incorruptus. Vocatiua uel quaſi uocatiua deinde, ut ego uocor ſiue agnominor Alfonſus. Tertiò reciproca, ut habeor doctus. Poſtremò uerba geſtus, ſiue quæ ſignificãt modũ rei, ut ſtudeo pron⁹, dormis ſupinus, incedis rect⁹.

A quot partibus orationis regatur Nominatiuus

Regitur nominatiuus à tribus partibus orationis, uerbo, aduerbio, interiectione: de his ſuo ordine diſſeramus. A uerbo regitur nominatiuus dupliciter, tum à fronte, ut Deus regnat: tum à tergo, ut ſum homo. A reliquis partibus orationis, quæ nominatiuum regunt, regitur tantùm à tergo, hoc enim priuilegium ſoli uerbo conceſſum eſt, ut ante ſe caſum regat, quod reliquis partibus orationis negatum eſt prorſus. Verùm nominatiuus qui à fronte regitur, dicitur ſuppoſitus, qui à tergo, appoſitus. Præterea nominatiuus qui à frõte regitur (quẽ ſuppoſitum appellamus) à uerbo regi ſolet dupliciter

ter, explicitè scilicet & implicitè. Explicitè regitur quādo in oratione exprimitur, ut ego amo, implicitè quādo nō exprimitur in oratione, ut amo, subaudi ego. Hoc autem contingere solet quinque modis. Primò in uerbis primæ & secūdæ personæ utriusq; numeri: nam in his prima & secunda persona sermè non explicantur, nisi discretionis aut emphasis gratia. Discretionis, ut nos accusauimus; uos damnastis. Est autem hic discretio, quando unius aut plurium è multis fit exceptio, quos uel dicti, uel facti reos notamus. Emphasis, ut tu audes ista loqui? ubi tu, amplioris significantiæ, & effectus latentis causa additur. Est autem Emphasis figura altiorē præbens intellectum, quàm uerba per seipsa declarant: quæ in pronominibus potißimùm dominatur. Secundò, in uerbis linguæ seu locutionis: ut ita ferunt, aiunt, dicunt, intellige homines. Tertiò, in uerbis naturæ, ut pluit, ningit, Deus scilicet uel natura. Hæc autem naturæ uerba, à Grammaticis exceptæ actionis appellantur: quòd eorū actio soli Deo aut naturæ conueniat. Quod licet uerum certumq; sit, possunt tamen per translationem & similitudinem quandam ad homines etiam referri: ut si dux aliquis aut imperator dicatur in hostes fulminare, aut orator in concione tonare. Aut re uera propriè per negationem siue affectum, ut ego non pluo, si ego ningerem, utinam tu plueres, & similia. Quartò in uerbis quæ quibusdam animalibus propriè tribuūtur: ut latrat, grunnit, mugit, rugit, coaxat. intellige: canis, porcus, bos, leo, rana. Quin

to, in uerbis tertiæ personæ utriusq; numeri ab oratione præcedenti dependentibus, ut scholastici inter se de literis disputant, & de honore augendo contēdunt, idem enim nominatiuus qui reddit suppositū priori uerbo, reddit etiam & posteriori.

Obseruabis, non tantùm nominatiuum reddere suppositum uerbo, sed aliquid etiam loco nominatiui, id autem contingit sex modis. Primò, quando infinitiuus solus sine ulla cōstructione reddit uerbo suppositum, ut mentiri non est meū. Secundò, quādo ponitur infinitiuus cum aliquo à tergo, ut furari alienam pecuniam turpissimum est. Tertiò cùm utrinque infinitiuum circūstat casus, ut me surripere rem sacram de templo, sacrilegium est. Quartò, quando integra oratio reddit uerbo suppositum, ut dolet mihi quòd res non cesserint tibi ex sententia. Quintò, si aduerbium ponatur loco nominatiui, ut satis pecuniæ est mihi. Sextò, quando dictio technicè, id est quadam arte & materialiter pro uoce tantùm, ponitur in oratione. Tunc enim iuxta quorundam sententiam, in locum nominatiui succedit, ut amo est uerbum.

Regitur secundò nominatiuus (ut nonnulli falsò opinantur) à participio: uerùm non ab omni, sed ab ijs tantùm participijs, quæ descēdunt à quatuor generibus uerborum. A substantiuis scilicet uel quasi substantiuis ut existens incorruptus. A uocatiuis, ut uocatus Alfonsus, Reciprocis, ut Demosthenes habitus facundissimus. Verbis gestus, ut studēs pronus, iacens supinus. Sed re uera, sicut adiectiua cū

substantiuis reguntur à uerbo expresso uel subintellecto, sic nominatiuus cum suo participio regitur à uerbo, aduerbio, & interiectione: iacens enim supinus, aut dormit aut uigilat.

Regitur tertiò nominatiuus ab aduerbio. Sed in aduerbiorum ordine duo præcipuè sunt, quæ nominatiuum regunt, en, & ecce: aliquando demonstratiuè, ut en Priamus, ecce status noster: aliquādo per exprobrationē quandam, ut en crimē propter quod accusor, ecce crimen de quo ab aduersarijs notor. Regunt etiam hæc aduerbia accusatiuum. sed de huiusmodi constructione agemus, cū de accusatiui regimine disseramus. His aduerbijs accedit particula Comica hem, quæ nominatiuū etiā regit. Plautus in Curcul. Hem tibi anus lepida. Regitur quartò nominatiuus ab interiectione: sunt autem tres interiectiones, quæ nominatiuum regunt, quando exclamātis funguntur officio. O, heu, proh: ut ô uir fortis atq; amicus, heu pietas, proh Iupiter. De alijs casibus quos regere solent, dicemus in regimine sequētium casuum.

De regimine Genitiui.

Post nominatiuū sequitur Genitiuus: qui à gignēdo dictus est. quia quantum spectat ad formationem cæteros obliquos ex se gignit, ac propterea gignēdi casus appellatur. Dictus est etiam (authore Prisciano) casus patrius, quia cæterorum casuum pater & genitor est. Præterea possessiuus, quia possessionem demonstrat, ut Pallium Petri. Priscis etiā interrogandi casus dicebatur, quia solemus per geniti

nitiuũ interrogare, ut cuius est pec⁹? Hæc satis de appellationis diuersitate: explicemus modò eodem quo in superioribus ordine, quid sit, & quotuplex genitiuus, & à quot partibus orationis regatur.

Quid sit Genitiuus.

Genitiuus, *est prim⁹ casus qui à nominatiuo cadit à quo cæteri obliqui gignuntur, & rẽ significat, ut cuius sit quippiã. Tres partes finitionis discutiam⁹. Prima est, prim⁹ casus qui à nominatiuo cadit.* Nam *proprie casus appellatio primùm cõuenit genitiuo: nominatiuus enim (ut author est* Priscianus *lib. 5. cap. de casu) p* Catachresin *siue abusionem dictus est casus, q, ab ipso nascãtur oẽs alij casus: aut (ut idem uult) quia cadens à sua terminatione in alias, facit obliquos casus.* Secunda *est,* A *quo cæteri obliqui gignũtur.* Hoc *intellige quantùm ad formationem: nam si extremam uocalem genitiui in alias atq; alias uocales commutes, efficies reliquos obliquos.* Tertia *est.* Et *rem significat, ut cuius sit quippiam.* Hoc *adiectum est, quia in genitiuo poni solet rei alicuius possessor, ac propterea potest in possessiua subinde uerti: ut filius heri, herilis filius: ensis* Euandri, Euandrius *ensis.*

Quotuplex sit.

Est *autem multiplex genitiuus,* Actionis, *paßionis, ambiguitatis, possessionis, materiæ, loci, partitionis, excessus, psonæ.* Actionis *est, p quem alterum actiuè declaratur: ut prouidentia* Dei, *bonitas* Dei, *qua* Deus *prouidet, & benignè agit, non ipsi prouidetur, & benignè fit.* Pasionis, *per quẽ alterum pasiuè declaratur, ut timor* Dei, *cultus* Dei, *quo* Deus *time-*

tur & colitur, nō timet, nec colit. Ambiguitatis per quē alterū in utranq; partē actiuā & paßiuā exponi potest, nec in una tantū, ut amor Dei, charitas patris, suspicio uxoris, in his enim intellectus aperius atque unus non est, sed ambiguus & anceps, dubiū est enim de utro loquaris, an de amore quē Deus in nos habet, an de eo quē nos in eū, de charitate patris in filios, an filiorū in patrem, de suspicione maritali, an de uxoria. Possessionis, per quē alterū possideri significatur: ut regnū Dei, quod Deus possidet. Materiæ per quē significatur materia, ex qua aliquid fit: ut subucula lini, id est cōfecta ex lino: annulus auri, id est ex auro confectus. Loci, per quē locus significatur, in quo aliquid fit: ut studeo Cōpluti. Partitionis, per quē partitio rerū quædā significatur: ut manuū dextera est fortior. Excessus, qui a nomine superlatiuo regitur, cū excessu quodā: ut Achilles fortissimus Græcorū. Personæ, per quē importatur pars corporis, aut persona: ut mei nihil attigit id est, nullam mei corporis aut personæ partem.

A quot partibus orationis regatur Genitiuus.

Regitur genitiuus à sex partibus orationis, nomine, pnomine, uerbo, participio, præpositione, aduerbio. Nulla itaque pars orationis est, quæ genitiuū non regat, præter interiectionem & coniunctionē. Percurramus singulas partes sigillatim. Regitur primum genitiuus à Nomine: uerum ex nominibus quædam sunt substantiua, quædam adiectiua: substantiuorū rursus alia propria, alia appellatiua. Complectamur igitur constructionem substantiuorū dua

bus

bus regulis. Sit prior, Omnia nomina substãtiua propria regere genitiuum non possunt, nisi intelligatur appellatiuum. Vt Hectoris Andromache, scilicet uxor, Deiphobe Glauci, scilicet filia: Itaque in his genitiuus non regitur à nomine proprio, sed ab appellatiuo subintellecto. Sit posterior regula Omnia nomina substantiua appellatiua, regere possunt alterum substantiuum in genitiuo, si pro rebus diuersis accipiantur, & nulla intercedat coniunctio. Dixi si pro rebus diuersis accipiantur: nam si capiantur pro re eâdem, ambo erunt in eodem casu, ut urbs Roma. Dixi, & nulla intercedat coniunctio: nã si forte intercesserit, duo illa nomina in eodẽ casu per coniunctionem copulabuntur, ut patera & aurum: si de medio tolleretur coniunctio, diceres, patera auri. Hinc colliges, nomina substantiua ex ui possessionis regere genitiuum, ut ager Petri. Totum regere suam partem in genitiuo, ut homo duri capitis. Subiectum etiam regere suam proprietatem in genitiuo, ut uir singularis eloquentiæ, & contra ut eloquentia Ciceronis. Præterea quæ significant mensuram, numerum, relationem siue respectum ad aliud, ut cyathus uini, mille nummûm, filius Ciceronis, mater Platonis. Postremò uerbalia non tantùm in tor, aut in trix terminata, sed in uniuersum cuiuscunque generis sint, si à uerbis transitiuis descendant, genitiuum regent: ut cultor siue cultrix iustitiæ, bibax uini, cupidus laudis, auarus pecuniæ, studiosus tui. De quibus satis multa Ioannes Despauterius in Syntaxi.

Absoluimus substantiua, tam propria quàm appellatiua, aggrediamur adiectiua. Hæc regunt etiam genitiuum uerùm nō omnia. Sed ea præcipuè quæ partitionem significant, ut aliquis uestrûm: quæ numerum, ut unus uestrûm: quæ negationem, ut nullus uestrûm: quæ copiam siue inopiam, ut diues agrorum, plenus rimarum, uacuus cerebri, inops consilij: quæ propinquitatem siue similitudinem, ut propinquus siue affinis, siue similis Cæsaris: quæ superlationem, ut sapientißimus philosophorum. Vltimò quæ formam quandam & imaginem habent participiorum, ut doctus pilæ, peritus belli, sitiens auri: & quæ in neutra terminatione substantiuè ponuntur, ut quantum habebis pecuniæ, tantundem habebis fidei. Verùm hæc pro sua infinitate in certam regulam reduci non possunt: de his etiam consules commentaria nostra in Quartum Nebrissēsis, ubi hunc locum qua potuimus breuitate, & methodo perstrinximus.

Secunda orationis pars quæ genitiuum regit, est pronomen. Regitur autem genitiuus ex ui partitionis, ut illa fœminarum, ille scholasticorum. Tamen illud est obseruatione dignum, pronomina hæc primitiua in masculina & fœminina terminatione, regere genitiuum eiusdem generis, ut in proximis exemplis patuit, in neutra uerò, eiusdem siue diuersi: eiusdem, ut id negotij, id operis, illud mali: diuersi, ut id pecuniæ, id ætatis.

Tertia pars quæ genitiuum regit, est uerbum. Sunt autem præter uerbum substantiuum, quadruplicia uerba, quæ genitiuum regunt, actiua, neutra, de-

ponentia, & impersonalia. Verbum substātiuum quinque modis genitiuum regit. Aut ex ui possessionis ut pecus est Meliboei. Aut ex ui aestimationis, ut tanti eris alij, quanti tibi fueris. Aut ex ui loci, ut sum Compluti. Aut ex ui laudis uel uituperationis, ut uir est singularis eloquentiae, singularis barbariae. Aut denique quando significat ad aliquid pertinere, ut regum est tueri leges, prudentis est multa dissimulare. Verba actiua quae in secunda classe reponuntur, genitiuum regunt sunt autem ea propriè quincuplicia. Implendi, ut animum impleuit religionis Accusandi, ut accusauit fratrem parricidij. Damnandi, ut condemnatus est peculatus. Emendi, emi pluris solito. AEstimandi paruí ducitur probitas, plurimi fit pecunia. His iungunt quidam laudandi & Admonendi uerba, ut laudauit me rei pręclarè gestę, admonuit me errati. Verba neutra primi ordinis genitiuum regunt, sunt autem ea Carendi siue indigendi, ut careo pecuniarum, egeo salutis, Abundandi, ut abundo diuitiarum, Satagendi, ut satagit rerum suarum. His adiungunt alij hoc uerbum Memini, ut faciam ut perpetuò huius diei memineris. Deponentia primę speciei genitiuum exigunt, ea uerò sunt quę miserationem important, ut miserere laborum, quae Recordationem siue obliuionem, ut recordabor perpetuò iniuriae, tuorum ne obliuiscare. His accedunt ex quorundam sententia Potior & Dominor, ut potitus rerum, Deus omnium dominatur, quanuis utrobique subintelligitur imperio. Communia genitiuum non regunt, pręter criminor, quod

cum accusandi uerbis connumeratur, ut me auaritiæ criminatus est. Impersonalia *primæ & quintæ speciei genitiuum regunt, qualia sunt, interest, refert, pœnitet: ut non tam interest regis, quàm totius Reip. Refert omnium animaduertiin malos: pœnitet me uitæ malè anteactæ. De his omnibus uerborum generibus, confugito ad commentaria nostra in quartum* Ne*brissensis, ubi fusè satis & copiosè eam materiam persecuti sumus.*

Quarta pars quæ genitiuum regit, est participiū Nam cùm ea sit natura participiorum, ut constructionem sequantur uerborum à quibus deriuantur, in uniuersum ea participia genitiuum regent, quæ deriuantur à uerbis regentibus genitiuum, ut repletus uini & furoris, accusatus parricidij, idem sit de alijs iudicium ne in re clara plùs iusto immoremur. Præterea omnia participia quæ transeunt in naturam nominum, genitiuū postulant: ut amans uirtutis, cupientior famæ quàm auri.

Quinta orationis pars quæ genitiuum regit, est præpositio. Ex numerò uerò præpositionum tres reperiūtur quæ genitiuum exigunt: Pridie, ut pridie illius diei: Postridie ut postridie calen̄. Tenus, ut B*aiarum tenus, oculorum tenus. Solet autem regere genitiuum tenus, aut quando iungitur nominibus pluraliter tantùm declinatis, aut res geminas significātib⁹, ut in pximis exemplis uel tyrunculis etiam potest innotescere.*

Sexta pars quæ genitiuum regere potest, est A*d uerbium: sed in aduerbiorum serie quincuplicia sunt quæ genitiuum regunt. Temporis, ut tunc temporis.*

Loci

Loci, ut nusquam gentium, ubi terrarum, Superlationis, ut pessimè omnium dixit, qui omnium optimè fecit. Quæ descendunt à nominibus regentibus genitiuum, ut similiter præceptoris. Quæ abundantiam significant, quorum ea est natura, ut uice nominum poni uideantur: ut satis pecuniæ, abunde uini, affatim lignorum. Quanquam tunc temporis, & similiter præceptoris, optimorum authorum exemplo carent.

De regimine datiui.

In ordine casuum, tertio loco succedit Datiuus: qui à dando nomen accepit, quia in eo casu poni solet is, cui aliquid damus. Dictus est etiam acquisitiuus, quia in eo ponitur persona acquirens aliquid: & commendatitius, quia per eum cõmendamus: sed usu cõmuniori datiuus est appellatus. Discutiamus igitur, ne à nostro more recedamus, quidnam sit, & quotuplex datiuus, & à quot partibus orationis regatur.

Quid sit Datiuus.

Datiuus est tertius à nominatiuo casus, in quo ponitur persona, cui quippiam attribuimus. Hæc finitio adeò perspicua est, ut nulla indigeat expositione Illud tamen annotasse non pigebit, sub datiui uoce ueteres illos casum octauum comprehendisse: quem tum incidere uolebant, cùm quod alias per accusatiuum cum præpositione usurpabant, per hunc casum proferebant: ut it clamor cælo, id est in cælum: subeunt muro, pro ad murum.

Quotuplex sit.

Quin

Quincuplex est datiuus, actiuus, passiuus, acquisitiuus, possessiuus, localis. Actiuus à quo manat actio uerbi, ut Deus amatur mihi. Passiuus in quẽ migrat uerbi actio, ut seruio Deo. Acquisitiuus qui aliquid acquirit, ut do tibi librum. Possessiuus qui possessionem importat, ut est mihi fertilissimus ager. Localis qui locum, ut sum Burgis.

A quot partibus orationis regatur.

Regitur à sex partibus orationis, nomine, pronomine, uerbo, participio, aduerbio, interiectione. Omnes itaque partes orationis datiuũ regũt præter præpositionem & coniunctionem. Nomen duplex est, substantiuum & adiectiuum. Pro substantiuo sit regula. Omne nomen substantiuum potest regere aliud substantiuum in datiuo, intercedente uerbo substãtiuo: ut est mihi multa pecunia, est mihi nõ pœnitẽdus magister, Deo sit honor & gloria. Quæ orationes per uerbum habeo exponi solẽt facta casuum mutatione: datiuus enim mutatur in nominatiuum, nominatiuus in accusatiuum. Conuertes igitur superiores orationes per uerbum habeo in hũc modum, Ego, habeo multam pecuniam, Ego habeo non pœnitendum magistrum, Deus habeat honorẽ & gloriã. Orationes tamen quæ per uerbum substantiuum fiunt, multò sunt pulchriores, quàm quæ per uerbum habeo. De adiectiuis certa regula tradi non potest: uerùm adiectiua in bilis terminata, & participia in dus, datiuo gaudent: ut flebilis, formidabilis omnibus, flendus, formidandus omnibus. Præterea quæ commodum aut incommodum significant,

cant, aut relationem ad aliquid, datiuum exigūt. Ut rem mihi permolestam, mihi iucundam, tibi perniciosam, mihi salutarem consulis: aptus, accōmodus, idoneus, utilis inutilis bello, siue ad bellū natus gloriæ & ad gloriam. Rursus quæ amicitiam uel simultatem significant: ut amicus omnibus inimicus nemini, contrarius omnibus, aduersus nemini. Ex pronominibus, tantùm idem, datiuum regit, ut Deus idē omnibus, idem huic aut cum hoc. Horatius in fine artis Poëticæ Inuitum qui seruat, idem facit occidenti. Sensus est, qui seruat cupientem mori, idem facit ac si occideret, nā uita ei pro morte est. Omnia uerba regere possunt datiuum ex ui damni aut commodi, cùm similis datiuus sit omnibus uerborum generibus communis. Verùm si speciatim rem tractari placeat, quincuplicia uerba datiuum regūt. Actiua tertij ordinis, ut dedi tibi literas: hæc eadem duos datiuos aliquando regunt, ut dare rem alicui uitio siue laudi: eiusdem naturæ sunt, uerto, duco, adscribo. Passiua loco personæ agentis, ut Deus amatur mihi, quam constructionem habent etiam communia in significatione passiua, ut criminaris mihi, id est à me. Neutra secundæ classis, ut consule tuis rebus. Deponentia eiusdem classis, ut medebor tuo dolori. Impersonalia item eiusdē, ut expedit mihi. Participia omnia quæ descendunt à uerbis regentibus datiuum, regunt etiam datiuum, ut seruiēs Deo, iussis obtemperans. Aduerbia omnia quæ formantur aut à nominibus, aut à participijs regentibus datiuum. regunt etiam datiuum. A nominibus, ut canis similiter

ter huic, uiuit sibi inutiliter. A participijs, ut conuenienter naturæ uiuere, id est, ex dimenso & præscripto naturæ.

Quatuor interiectiones datiuum regunt. Hei dolentis, ut hei mihi, Heu dolentis etiã: heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est: idq; apud regium Prophetam tantum. Laurentius contendit legendũ esse hei, quia heu accusatiuum, nunquam datiuum regit. Væ comminantis, ut uæ tibi. Ah dolentis cum aspiratione in fine, ut ah tibi. Hæc autem particula Comica tantùm est, aut aliorum Poëtarum, nullus est enim eius apud Oratores usus.

De Regimine accusatiui.

Quartũ locum tenet accusatiuus, qui ab usu accusandi frequentiori accusatiuus dictus est, quòd in eo personam siue rem quam accusamus ponere soleamus: qua ratione & incusatiuus etiam dicitur, & causatiuus, quia aliquid in causa fieri ostendit: Hæc de uocis uarietate. Examinemus modò quid sit accusatiuus, & quotuplex, & à quot partibus orationis regatur.

Quid sit Accusatiuus.

Accusatiuus est qui rem significat tum infinitis uerborum à priori, tum actiuorum transitioni accommodatam. Duas partes complectitur finitio. Prior est, Tum infinitis uerborũ à priori: quia infinitiuus à frõte regit accusatiuũ, ut me seruire Deo optimũ est. Posterior est, Tum actiuorũ trãsitioni accõmodatã, quia uerba actiua, quæ trãsitiua nũcupãtur, accusatiuum regere solẽt, qui ab ipsis ex ui re-

regitur transitionis.

Quotuplex sit.

Accusatiuus quincuplex est, actionis, passionis tẽporis, loci, distantiæ. Actionis à quo prodit uerbi actio, ut Cicero per *uiros* Reip. *studiosos restitutus est in patriam: accusatiuus uiros, actiuus est, quia ab eo exit restitutionis actio.* Passionis *in quẽ transit uerbi actio, ut amo* Deum. Temporis *qui tẽpus ut tres annos studui* Grammaticæ. *Loci qui locum, ut recipio me domum.* Distantiæ *qui distantiam significat, ut circiter duo millia paßuum ab urbe distat.*

A quot partibus orationis regatur.

Regitur *accusatiuus à sex partibus orationis, nomine, uerbo, participio, præpositione, aduerbio, interiectione. Itaque omnes orationis partes regunt accusatiuum, præter pronomen & coniunctionem. Cùm duplicia sint nomina, substantiua & adiectiua, substantiua accusatiuum non regunt: adiectiua quadrifariam.* Aut per Synecdôchen, *ut niger oculos, horridus barbam: aut si in bundus terminẽtur, & descendant à uerbis regentibus accusatiuum, ut populabundus agros, aut si certum magnitudinis modum significent, qualia sunt, longus, latus, altus, crassus, ut turris alta trecentos pedes, liber crassus tres digitos: aut per* Antiptôsin, *ut non sum id nescius, pro eius rei.* Pro *uerbo statuatur regula generalis:* N*ullum scilicet esse uerbum, quod non cum accusatiuo cõstrui poßit, si accusatiuus ille tempus, aut distantiam, aut mẽsuram significet.* Hoc *uel pue*

ris alphabetarijs notißimum est. Sed ad specialia uerborum genera descendamus. Verba actiua uniuersa cuiuscunque sint claßis, suapte natura regunt accusatiuum significantem id quod patitur. Quæ uerò sunt quartæ, præter accusatiuum omnibus uerbis actiuis communem, regunt etiam alterum: sunt autem in ea specie conclusa quinque uerborum genera, quæ duos accusatiuos regunt. Docendi, ut doceo te Grāmaticā: orādi, ut miseri orāt principes ueniā: uestiēdi siue calciādi, ut induam te diploidem, calciabo te soleas: admonendi, ut admonui te utilia: celandi, ut nunquam te consilium meū celabo. Verba paßiua quatuor modis regunt accusatiuum. Primò, per Synecdochen, expleri mētem nequit. Secundò, per transumptionem, quando scilicet uerbum paßiuum pro actiuo ponitur: ut purgor bilem, id est purgatione expello bilem. Tertiò, per compositionem, quando scilicet componuntur cum præpositione, quę sua natura regit accusatiuum: ut transuectus fluuium, id est, uectus trans fluuium. Quartò per deriuationem, quando deriuantur à uerbo actiuo quarti ordinis, ut doceor Grammaticam. Verba neutra quatuor modis accusatiuum regunt. Primò per Synecdochen, ut tremit artus. Secundò, per transumptionem: ut Corydon ardebat Alexim, id est, ardenter amabat: depereo uirginem, id est deperditè amo. Tertiò, per compositionem, ut adeo periculum, obeo mortem. Quartò, quando accusatiuus significat rem uerbi, ut uiuo uitam. Depōētia tertiæ for

mæ regunt accuſatiuum, ut loqueris mendacium.
His accedunt communia in ſignificatione actiuâ, ut amplector te. Imperſonalia tertiæ & quintæ ſpeciei accuſatiuum poſtulant, ut decet te, pudet me peccati. Non autem imperſonalia quartæ, ut quidã uolunt: nam cùm dicitur, incipit me tædere, accuſatiuus non à uerbo incipit, ſed ab infinitiuo tædere regitur: Participia deriuata à uerbis regentibus accuſatiuum, regunt etiã accuſatiuũ, ut amãs Deũ. Prę tereà per figurã Synecdochẽ: ut oculos ſuffuſa nitentes, id eſt, habens oculos ſuffuſos. Præpoſitio regit etiam accuſatiuum: ſunt autẽ numero triginta quatuor præpoſitiones, quæ accuſatiui conſtructionem poſtulant, de quibus conſule Nebriſſenſem in primis puerorũ præexercitamentis. Præter has ſunt aliæ quinq; quæ accuſatiuum regunt, uel ablatiuũ, in, ſub, ſuper, ſubter, ſubtus. Aduerbia triplicia accuſatiuum regunt. Demõſtratiua primùm, en & ecce. Deinde quæ formantur à præpoſitionibus, quæ regunt accuſatiuum, ut proximè caſtra, propius urbẽ, deſcendunt enim à prope. Poſtremò quæ deſcendunt à nominibus regentibus accuſatiuũ, ut gymnaſium extẽditur latè uiginti paſſus. Idem iudicato de ijs, quæ lõgitudinẽ ſiue profunditatem ſignificant: quamuis hi accuſatiui à uerbis potiùs, quàm ab aduerbijs regi dicentur. Quatuor interiectiones accuſatiuum regunt: Heu dolentis, heu me miſeram: O exclamantis, ô inanes hominum cogitationes. Proh exclamantis etiam, proh Deùm atq; hominum fidẽ: Cedò pro da, ut cedò manum.

De regimine Vocatiui.

Post accusatiuum sortitus est locum Vocatiuus, cui à uocando impositum nomen est, quia in eo casu ponitur persona quam uocamus. Hic idem casus dictus est salutatorius, quia per eũ salutamus, et rectus aut quia recto plerũq; similis esse solet, aut quia à uerbo nõ dependet, ut nõ multò post apertè demõstrabimus. Præcipiamus iã quidnã sit uocatiuus, & quotuplex, & à quot partibus orationis regatur.

Quid sit vocatiuus.

Vocatiuus est, qui uocandis appellandisq; personis est accommodus. Eò spectat tota definitio, ut eũ eße præcipuum uocatiui usum intelligas, ut per eum uocemus.

Quotuplex sit:

Est autẽ multiplex uocatiuus. Admirationis, ut ô fortunati. Deprecationis, ut tu mihi diua faue. Salutationis, ut aue inuictißime Cæsar. Execrationis, ut ô scelus. Vocationis, ut accede huc Petre.

A quot partibus orationis regatur.

Vocatiuus à duabus tantùm partibus orationis regitur, aduerbio, & interiectione. Aduerbia duo sunt quæ uocatiuum regunt, ô, & heus, ut ô formosißime puer, heus adolescens optime. Interiectiones septem sunt quæ uocatiuum regunt, O exclamantis ut ô Dij immortales. Heu lugentis, ut heu calamitosa fortuna: Proh exclamantis, ut proh Iupiter: Vah exclamantis etiam, ut uah consilium callidum, Euge exultãtis, ut euge serue. Hui deridentis, ut hui mulier lepida: Mi blandientis, ut mi puer formosule,

nisi

nisi subintelligatur, ô, cùm mi sit pronomen.

Quæstio de Vocatiuo.

Sed iam hac in parte agitatur quæstio: quæ diu multumq; Grammaticos miserè torsit, An uocatiuus regatur à uerbo secundæ personæ imperatiui modi. Ac primò Nebrissensis uir seculorum omniũ memoria dignissimus, Priscianum secutus, tenuit uocatiuum semper regi à uerbo secundæ personæ imperatiui modi, atq; illi reddere suppositum. Quòd si aliquando uideatur poni absolutè, adhuc affirmat uerbum excitans attentionem intelligendum esse. Apparet autem absolutè poni, cùm oratio ex recta fit obliqua, hoc est, quando ex secunda persona ad quam loquimur, fit transitus ad tertiam, de qua loquimur. Vt si dicas, O Cæsar, legat Pompeius: asserit subaudienda esse huiusmodi uerba, audi, ausculta, intende, & his similia, à quibus uocatiuus Cæsar, qui uidebatur poni absolutè, regatur. Ego tamen (salua tanti uiri reuerentia) cum uulgo Grammaticorum teneo, uocatiuum nunquam regi à uerbo secundæ personæ imperatiui modi sed ab aduerbio, ô, subintellecto. Ea est enim natura uocatiui, ut attentionem aduertentiamq; excitet: quod cùm effecerit, officio suo defunctus est. Itaq; etiam sensus in familiari uulgariq; sermone, uicem obtinet, neque ullo uerbo indiget, ut suam naturam explere possit neq; cùm oratio ex recta fit obliqua, necesse est uerbum attentionis subintelligi, sed regitur uocatiuus ab aduerbio, ô. Rogabis, quo pacto regantur partes in hac oratione, Petre stude, & similibus,

Respondeo uocatiuum Petre, regi ab aduerbio, ô, subintellecto: deinde subintelligi nominatiuum, tu, qui reddit suppositum uerbo. Huic ego semper sententiæ constanter adhæsi, quam si forte displicuerit, eam paratus sum deserere, postquam mihi certius aut uerius classicus uir persuaserit præceptum. Eo enim ingenio natus sum, ut uehementer cupiam uel à rudibus imperitisq; tyronibus ueritatem perdiscere: nedum a classicis nominisq; celebritate conspicuis.

De regimine Ablatiui.

Post uocatiuum ordine succedit Ablatiuus, qui ab auferendo sic est appellatus, quia in eo ponitur is à quo aliquid auferimus. Hic & Sextus, & Latinus & Comparatiuus dicitur. Sextus quidem, quòd in ordine casuum sextũ usurparit locum: Latinus, per excellentia, quia Latinæ linguæ proprius est, nam Græci ablatiuum non habent cuius uim per genitiuum explicant, Comparatiuus, quia à comparatiuo ex ui comparationis regi solet, ut ex fratribus maior. Iam eòdem quò solet, deuoluatur oratio nostra: & apertum omnibus faciamus quidnam sit, & quotuplex ablatiuus, & à quot partibus regatur.

Quid sit Ablatiuus.

Ablatiuus est qui aliquid significat, tanquam in quo, cum quo, uel abs quo. In quo, quando significamus aliquid in loco fieri, ut in foro saltat. Cũ quo, quando comitem significamus, ut cœnaui lautè cum contubernali. Abs quo, quando separationem signi

ficare uolumus, ut amoue à facie manum.

Quotuplex sit.

Sexcuplex est Ablatiuus, *actionis, passionis, temporis, loci, distantiæ, excessus. Actionis, à quo uerbi actio proficiscitur, ut Deus amatur à me. Paßionis in quem migrat uerbi actio, ut utor diuitijs. Tẽporis, qui tempus importat, ut tribus annis eloquẽtiæ studui. Loci, qui locum, ut in gymnasio doceo. Distantiæ, qui distantiam, ut distat tribus passuum millibus. Excessus, ut tribus digitis te excedo.*

A quot partibus orationis regatur.

Regitur *ablatiuus à sex partibus orationis, nomine, pronomine, uerbo, participio, præpositione, aduerbio. Duæ tantùm constructione ablatiui orbatæ sunt, interiectio & coniunctio. Nominum alia sunt substantiua, alia adiectiua. Substantiua triplicia ablatiuum regunt. Aut quæ significant totum, hæc enim regunt partem in ablatiuo, non tamen sine adiectiuo, ut uir dura ceruice: aut quæ subiectũ, hæc enim regere solent proprietatem in ablatiuo, ut uir incredibili eloquentia: aut quæ dignitatem, ut Carolus quintus diuino beneficio Imperator. Adiectiua etiam ablatiuum regunt: aut comparata, ut doctior te: aut quæ copiam siue uacuitatem significant, ut diues agris, onustus diuitijs, uacuus curis: aut si ablatiuus causam efficientem præseferat, ut pallidus morte, tardus senio. Postremò quæ concreta dicuntur, regere solent abstracta in ablatiuo, ut humanus humanitate quadã naturali. His omnibus*

accedit nomen opus, quod ablatiuum desiderat, ut ad rem expediendam opus est Oedipo. Ex pronominibus, Idem, regere solet ablatiuum interueniente præpositione, ut idem cum hoc.

Pro uerbo statuatur generalis quædam regula: Nullum scilicet esse uerbum, quod non cum ablatiuo construi poßit, si ablatiuus ille tempus, aut spatium loci, aut mensurā significet. Vt cōmoratus est apud nos tribus horis, abest à continenti quingentis passuum millibus, puteus tribus ulnis profundus. Sed speciatim rem tractemus. Omnia uerba actiua secūdæ, quintæ, & sextæ speciei ablatiuum regunt, ut impleo stomachum cibo afficio te honore, abstineo me ab iniurijs. Paßiua etiam loco personæ agentis, ut Deus colitur à me. His accedunt Communia significationis paßiuæ, ut tu amplecteris à me. Itē Neutra primæ, tertiæ, quartæ & quintæ claßis: ut careo pecunijs, æstuo febri, discipulus cessator uapulat à magistro, uiuo in urbe Rursus deponentia quartæ & quintæ formæ: ut uescor carnibus, ortus à clarißimis maioribus. Tandem Impersonalia primæ speciei cum his ablatiuis, mea, tua, sua, nostra uestra cuia: ut mea interest, tua, refert. Participia omnia quæ descendunt à uerbis regentibus ablatiuum, ablatiuum etiam exigunt: ut carens pecunijs, æstuans febri Præpositiones numero quindecim regunt ablatiuum, quinque ablatiuum & accusatiuum: de quibus uide Primum Nebrissensis.

Aduerbia Comparatiua regunt ablatiuum ut uelocius te curro, prætereà quæ formātur à nominibus

siue

siue participijs regentibus ablatiuum, ut abundanter diuitijs.

De ablatiuo Absoluto.

Quia tamen ablatiuus poni solet aliquando absolutè in oratione, ideò de ablatiuo absoluto pauca nobis dicenda sunt. Quare scilicet dicatur absolutus quid sit, & quot modis fiat.

Quare ablatiuus dicatur Absolutus.

Circa primum, non possum patienter sustinere, cùm audiò annosos quosdam professores, quiq; omnes ætatis suæ gradus in tradendis præceptis contriuere, audere publicè in gymnasiis præcipere ablatiuum dici absolutum, eo solùm nomine, quia põt poni in principio uel in fine orationis. Ut, rege Ferdinãdo Munda in ditionẽ Christianorũ uenit. Hìc rege Ferdinando, absolut⁹ ablatiuus est, quia ex orationis principio reiici potest in finem, in hunc modũ, Mũda in ditionem Christianorum uenit rege Ferdinando. O rẽ ridiculã, & omnium conuitijs, contumelijs sibilis excipiendam. Digni profectò essẽt huiusmodi præceptores, qui manibus à tergo illigatis, pueris, quorum animos malè instituunt, cædendi uirgis ad plagas usq; traderentur, ut sui erroris & stultitiæ meritas pœnas darẽt: aut in pistrinum detruderẽtur ut ibi pro cõmisso peccato perpetuò molerent. Ego tamen ita existimo, ablatiuum dici absolutum, quia aliunde non dependet, neq; ab alia parte orationis regitur. Nam cùm singuli casus ab aliis partibus orationis regantur, ablatiuus absolutus ab omni absoluitur regimine passiuo, cùm à nulla parte oratio-

nis regatur, habet tamē regimen actiuum, cùm suum à tergo casum regat, ut præceptore lectionis nodos explicante tu interim stertebas. Dices *ablatiuum absolutum pendere à sequenti oratione, ut in hac, sole lucente dies est: ac propterea non dici absolutum, quod aliunde non pendeat; cùm à sequenti oratione pendeat totus.* Fateor *pendêre in sensu, ut scilicet perfectum sensum in audientis animo ingeneret oratio, neque quicquam amplius desideret: non tamen in regimine, cùm à nulla parte ablatiuus ille absolutus regatur.* Hæc est *sententia nostra, quam cùm ex grauißimorum Grammaticorum traditione certam ueramq; esse mihi iam inde à puero persuaserim, denuncio professoribus, qui ex delectu nostro in hoc amplissimo diui Isidori collegio (cui ego moderando præfectus sum) Grammaticam profitentur, ne aliter, nec publicè nec priuatim præcipere audeant, nisi uelint indignationem nostram, & publicam incurrere castigationem.*

Quid sit ablatiuus Absolutus.

Hinc *colliges finitionem ablatiui absoluti, quæ talis est. Ablatiuus absolutus est, qui aliũde in regimine non dependet, postulat tamen orationem post se, ut perfectum efficiat sensum. Ex his quæ à me præcepta sunt, manifesta est finitionis explicatio.*

Quot modis fiat.

Ablatiuus absolutus fit quinque modis. Primò, ex duobus nominibus, ut rege Philippo *pacis leges accepit* Gallia. *Secũdò, ex nomine & pronomine, ut me præceptore relegata est omnis barbaria. Tertiò, ex nomi*

nomine & participio, ut Philippo imperante totus tremit orbis. Quartò, ex pronomine & participio, ut me legente plurimùm uiguit eloquētia. Quintò, ex participio præteriti, ut dicto de nomine, sermo de uerbo instituatur. Et (iuxta quorundam sententiam) ex solo gerundio, ut cantando rumpitur anguis. Hoc tamen est falsum, ut si dicas, ego legendo triui ætatem, ubi legendo ablatiuus absolutus esse nō potest, sed gerundium ablatiui. Resoluitur per has particulas, cùm quia, quandō, dum. Vt me dormiente tu bibebas, id est, cùm aut dum ego dormirem: te impulsore feci, id est, quia tu impellebas: te imperatore hæc fiebant, id est, quando tu imperabas.

Quando sit locus ablatiuo absoluto, quando non.

Notabis tamen hac in parte unum, quod in primis necessarium est, Nullum patere locum ablatiuo absoluto, quando ablatiuus & uerbi suppositum ad eandem personam pertinent Non enim dices, me negotijs plurimis implicato, non potui ad te rescribere, sed ego negotijs plurimis implicatus: nec te multa addiscente senescis, sed tu multa addiscens. Verùm si ablatiuus absolutus & uerbi suppositum ad diuersas, personas pertineant, tuc locus erit ablatiuo absoluto: ut me magistro tu plurimùm profecisti, te præceptore magna honoris & dignitatis accessio facta est Reip.

De regimine effectiui.

Septimum locum sibi uendicauit Effectiuus, ob eamq; rem septimus casus est dictus: & effectiuus,

quia in eo ponitur rei efficiendæ instrumentum: ac propterea etiam appellatus est casus instrumentalis. In hoc casu tria nobis præcipienda sunt, quid sit effectiuus, à quot partibus regatur, & quando ablatiuo, quando effectiuo utendum sit.

Quid sit effectiuus

Effectiuus est septimus à nominatiuo casus in quo rei gerendæ instrumentum collocatur: ut percussi illum gladio, instrumentum enim percussionis gladius est.

A quot partibus regatur Effectiuus.

Regitur effectiuus ab omnibus uerborum generibus: nam cùm sit casus communis, nullum est genus uerbi, cui negari possit effectiuus. Et quia hoc est in Grammaticorum gymnasijs sæpissimè proclamatũ, ideo superuacaneum erit subiectis exẽplis firmare.

De vsu ablatiui & Effectiui.

Quia effectiuus similis semper est ablatiuo, propterea Priscianus negauit effectiuum casibus addendum esse: deceptus tamen est, quia licet conueniant uocis similitudine, duplex est inter utrunque differẽtia. Prior est, quia effectiuus instrumentum significat, ablatiuus separationẽ. Posterior, quia effectiuus nũquã recipit præpositionẽ, nõ enim dices, impuli te cũ pugno sed pugno: ablatiuus uerò similem recipit præpositionẽ. Latinè enim dicitur & citra Solœcismi notã, cœnaui cũ patre, pfectus sum cũ fratre. Ex appositis exẽplis intelliges, quãdo ablatiuo, quando effectiuo utendum sit. Nã si in oratione denotetur instrumentum, uteris effectiuo, ut deleuit episto-

Iam lachrymis, non cum lachrymis, instrumentum enim delendi lachrymæ fuerunt. Abstersit sordes aqua, non cum aqua: instrumentum nanque abstergēdi aqua fuit. Si uerò denotetur concomitantia, utêris ablatiuo, ut dormiui cum conturbernali in eodem cōtubernio. Item in illis, acceptus sum cum honore, magna cum beneuolentia scripsit, cum mira affabilitate me allocutus est, non enim hi ablatiui instrumētum significant, sed comitem. Siquidem acceperunt me homines instrumento corporis, non honoris, sed honore comite. Scripsit ministerio manus, non beneuolentiæ, sed socia beneuolentia. Allocutus est lingua operatrice non affabilitate, sed præsenti affabilitate. Ita tradit Laurētius lib. 2. cap. 6. cōtra quosdam, qui aliter præcipere ausi sunt. Hæc satis de regimine, nunc ad figuras constructionis gradum faciamus.

TRACTATVS DE FIGVRIS constructionis.

DE Figuris cōstructionis tractaturi, illud *in primis necesse est generatim præcipiamus: unde figura dicta sit, quid sit, & quotuplex, ut deinde ad singulas figuræ species descēdamus. Figura à fingēdo dicta est, quod orationi nouā quandam formam & speciē fingat ac tribuat longè à propria & naturali alienam. Sumpta est (ni fallor) translatio à mulieribus, quæ cùm deformes sunt, solent cerussa, fuco, & nouis quibusdam*

dam superinductis medicaminibus faciem ementiri, ut circunspectantibus formosæ appareant. Sic etiam & figura orationem solet & pulchriorem multò quàm erat, & uenustiorem efficere.

Quod sit Figura.

Figura authore Quintiliano lib. 9. cap. 1.) est conformatio quædam orationis, remota à communi & primum se offerente ratione. Id est, est habitus quidam & gestus orationis, à communi & primum sese offerente ratione dicendi remotus & immutatus. Non quòd uulgus nunquam istis Rhetoricis ornamentis utatur sed quòd huiusmodi lumina in hominum imperitorum populari sermone rarius eniteant. Verùm hæc finitio à Quintiliano tradita, pro priùs multò conuenit figuris uerborum & sententiarum, quàm constructionis, ob eamq; rem paulò inferius eodem capite aliter finit figuram. Figura est arte aliqua nouata forma dicēdi, quæ circa Grāmaticas constructiones uersatur. Hæc finitio propriè quadrat figuræ constructionis. Nam est loquēdi forma nouata, id est, à naturali & consueto sermone mutata, ac proinde uitiosa, nisi arte aliqua aut ratione excusetur. Et circa grammaticas constructiones uersatur: id est in contextu partium orationis. Posses etiam sic finire: Figura est uitium cum ratione, necessitatis ornatusúe gratia permissum.

Quotuplex sit figura.

Generali quadam partitione, distribunntur figuræ in figuras uerborum & sententiarum. Quæ senten

tentiarum sunt, uersantur circa animi sensus & cogitatus, & de his non est præsens negotium, cùm ad Rhetores tantùm spectent. Quæ uerò uerborũ sunt rursus distribuuntur in figuras dictionis, elocutionis, cõstructionis. Figura dictionis est, quæ in una tãtùm fit dictione, ut audacter pro audaciter, dominarier pro dominari. Elocutionis, quæ circa loquendi modum aliquem uersatur, ut epotes cados, id est epota uina: efficitur enim Metonymia, cùm continẽs pro re contenta ponatur. Cõstructionis, quæ circa constructiones & leges Grammaticas uersatur, de qua modò sermo est. Nam reliqua figurarum genera non est propositi nostri in præsentia tractare, quæ longum & prolixum opus ad sui ipsarum tractationem desiderant. Figuræ igitur constructionis octo sunt. Euocatio, Appositio, Prolepsis, Syllepsis Zeugma, Antiptôsis, Synthesis, Synecdoche, quæ sigillatim nobis explicandæ sunt.

De Euocatione.

Euocatio, ab euocando dicta est: quia per ipsam tertia persona ad primam uel secundam extrà uocatur. De qua quatuor nobis explicanda sunt quid sit euocatio, quot ad euocationem requirantur, quotuplex sit, & utrùm in euocatione persona euocans & euocata perpetuò eiusdem numeri esse debeant.

Quid sit euocatio.

Euocatio est, immediata siue continua tertiæ personæ ad primam uel secundam reductio: ut ego Virgilius scribo, tu Cicero oras. In priore exẽplo, tertia persona reducitur ad primam: in posteriore tertia

tia

tia ad secundam. Dixi, immediata siue continua reductio: quia inter personam euocantem, quæ est prima uel secunda, & euocatam quæ est tertia, non debet intercedere cõiunctio: & huius ratio est, quia euocans & euocatam debent ad eandem rem pertinere, & coniunctio non nisi diuersa coniũgere solet. Inter personas tamen euocatas bene interuenire posset coniunctio, si duæ tertiæ personæ uni primæ aut secundæ connecterentur: ut ego pauper & indoctus perpetuo labore uictum quærito, tu diues & potens ostiatim totum oppidum compilasti. Ex finitione colliges, euocationem fieri non posse in nomine relatiuo, Quis, nec in pronomine Ipse. Nam relatiuum per se nullius est personę, atque ita eius personæ esse solet, cuius est antecedens: pronomen uerò Ipse, eius est personę, cuius est suppositum cui adhæret, ut ego ipse, tu ipse, ille ipse. Fit igitur ut euocatio non possit per similes partes fieri, cùm tertia persona ad primam uel secundam per eas reduci non possit. Neque te perturbent subiecta exempla, quę semper apposita fuerũt in nominatiuo nam & per reliquos casus, præter genitiuum, fieri potest euocatio. Per datiuum, mihi Alfonso conuenit per accusatiuũ, me Alfonsum decet: per uocatiuũ, uos discipuli attẽdite: per ablatiuum te Petro usus sum familiariter. Per genitiuũ minimè, quia hi genitiui, mei, tui, passionẽ significant, neq; in suũ consortium admittere possunt nomina substantiua. Neque enim Latinè dicitur, mei Alfonsi refert, sed mea qui sum Alfonsus: ut in impersonalibus copiosè

est

est à me disputatū. Nisi pluraliter dixeris;nostrûm utique Romanorum Consulum est hoc aut illud facere.

Quot in euocatione requirantur.

Sunt autē in euocatione necessaria quatuor:persona euocans, quæ semper est prima uel secunda: euocata, quæ semper est tertia:uerbum conueniens cum persona euocante,tanquam cum nobiliori,atq; ita semper uel primæ uel secundæ personæ esse debet:postremò absentia coniunctionis. His tu posses quintam legem addere,ut euocans & euocata eandem rem significent. Vnde in prima & secunda persona fieri euocatio non potest, cùm semper ad diuersa pertineant.

Quotuplex sit euocatio.

Duplex est euocatio, explicita & implicita. Explicita est quando tam persona euocans, quàm euocata exprimuntur,ut ego Alfonsus scribo Impltcita ubi euocata exprimitur,euocans uerò subintelligitur,ut Alfonsus scribo. Hoc autem accidere solet, aut in nominibus substātiuis proprijs,ut Calliopius recensui: aut appellatiuis,ut magister ludo. Item in adiectiuis omnis generis, aut uniuersalibus ut omnes ducimur laudis & gloriæ cupiditate: aut distributiuis,ut uterque læsi sumus:prætereà in participijs,ut animo suspensi ad te legatum misimus.

Vtrum euocans & euocata eiusdem perpetuò sint numeri.

Persona euocans & euocata plerunque eiusdem

numeri esse solet, ut in omnibus exemplis appositis uidere licet. Contingit tamen quatuor modis diuersorum esse numerorum. Primò quādo idem de se, aut dignitatis aut emphasis gratia, pluraliter loquitur: ut nos Philippus Hispaniarum rex imperamus. Secundò, cùm euocata carent numero singulari ut ego tuæ deliciæ iaceo lecto affixus. Tertiò, cùm est nomen collectiuum, ut nos populus ab uno homuncione offendimur. Quartò, cùm est nomen distributiuū, ut nos uterque lethaliter uulnerati sumus. Illud in fine notabis, hoc uitij in euocatione esse, quòd uerbū non conuenit cum nominatiuo in persona: nam cùm dico, ego Alfonsus scribo, uerbum scribo est primæ personæ, Alfonsus uerò tertiæ. Excusatùr tamen hæc improprietas, quoniam uerbum semper digniori respondere debet: prima nanque persona ordine naturæ dignior est secundâ, & secunda tertiâ.

De appositione.

Appositio ab apponendo dicta, quòd in ea unum substantiuum iuxta alterum apponatur, ut urbs Roma. De *qua tria nobis edisserenda sunt, Quid sit appositio, quot requirantur in appositione, quot de causis fiat.*

Quid sit appositio.

Appositio est duorum substantiuorum, eiusdē casus, & numeri, quorum alterum declarat alterum, immediata coniunctio. Hāc definitionem curiosiùs explicemus, nam fermè pleraque quæ de appositione præcipiuntur, in ea conclusa sunt. Est immediata coniunctio. Quia inter apponens & appositum nō

debet

debet intercedere coniunctio, nam aponens & appositum debent ad eandem rem pertinere, & sic non potest media esse coniunctio, quæ sua naturâ solet res diuersas coniungere. Nam ineptè & barbarè diceretur, urbs & Roma, fluuius & Rhenus posset tamē inter apposita interuenire, ut Maria mater & uirgo. Sed rogabis, quare apponens & appositum debeant eandem rem significare? Respōdeo, quia si significarent diuersa, in eodem casu esse non possent, sed in diuerso, ut ars Antonij, liber Ciceronis. Sed contrà, in hac locutione & similibus, amisi filium meæ senectutis baculum, non significatur res eadem, sed diuersa filius enim & baculus diuersißima sunt. Respondeo licèt diuersę sint, si eorum naturā penitiùs contemplemur, per translationem tamen quandam & similitudinem ad eandem rem pertinere, nam quemadmodum tardi & imbecilles senum gressus baculo innituntur, sic etiam patris senectus in filiō, ceu in baculo, sustentatur. Duorum substantiuorum. Quia merè adiectiuorum immediata coniunctio non est Latina, ut doctus bonus, honestus uerecundus. Prætereà duorum, & aliquando etiam trium, ut Marcus Tullius Cicero: uerùm id non tam frequens est. Eiusdem casus. Quia substantiua in appositione ferè sunt eiusdem casus: à magnis tamen authoribus in diuersis interim casibus ponuntur, perinde quasi ad diuersa pertinerent, ut urbs Patauii apud Virgilium, & urbs Antiochiæ apud Ciceronem. Illud non eget admonitione, posse appositionem fieri per omnes casus: ab

excplis tamen superſedemus, quia uel infantißimis ſcholaſticis appoſitionem per omnes caſus uariare facilimum fuerit. Et numeri. Nam ſubſtantiua eiuſdem etiam numeri eſſe debent, nam non dicimus, flumina Rhenus; urbes Roma. Interdum tamen diuerſorum numerorum eſſe poſſunt, aut quando alterũ ſubſtantiuorum caret numero ſingulari, ut urbs Athenæ: aut eſt nomen collectiuum, ut in eo Ouidij in Heroicis, In me turba ruunt luxurioſa, proci. Itẽ in eo Vergilij. 4. Georgico. Ignauum fucos pecus à præſepibus arcent. Aut quando apponẽs eſt copulatum, ut Petrus & Ioannes ſcholaſtici ſtudioſi. Hoc euenit, quia collectiuum & copulatum ſingularia æquipollent pluralibus. Rogabis, quando duo ſubſtantiua in appoſitione eiuſdem caſus & numeri eſſe debent, an debeant etiam eſſe eiuſdem generis? Reſpondeo minimè requiri, nam & diuerſi generis eſſe poſſunt; ut canicula ſignum feruentiſsimũ Alexis deliciæ, proci turba, fuci pecus, flumen Rhenus. Quorum alterum declarat alterum. Nam in appoſitione ſequens ſubſtantiuum ferè præcedens declarat ut fratres gemini. Nam (authore Quintiliano lib. 9. cap. 4.) ſi gemini dicam, fratres addere ſuperuacuum fuerit, quod tamen claßici authores interim fecerunt, dicentes gemini fratres, Roma urbs, Rhenus flumen, homo animal.

Quot requirantur in appoſitione.

Tria neceſſaria ſunt in appoſitione. Dictio apponẽs, quæ & expoſita & declarata nũcupatur, &

magis communis: per quam prius nomen substantiuum intellige. Dictio apposita, quę & exponens & declarans & minùs communis appellatur, per quā posterius substantiuum intelligitur. Id faciliùs percipies subiecto exemplo, flumen Rhenus. In hac appositione flumen, dictio est apponens, exposita, & magis communis, quia & exponitur per dictionem Rhenus, & plura complectitur quàm Rhenus. At uerò Rhenus est dictio apposita, declarans, & minùs communis: quia & apponitur priori substantiuo, ipsumq; declarat, & pauciora fluuiorum genera complectitur quàm flumen, cùm unum tantùm Rhenum significet. Vltimò absentia coniunctionis necessaria est, ut principio monuimus, quādo finitionem explicabamus.

Quot de causis fiat appositio.

Fit autem appositio tribus de causis. Restringendæ generalitatis gratia, ut arbor Laurus, fluuius Rhenus. Item remouendæ æquiuocationis causa, ut leo signum cœleste ardet, lupum piscem non uidit Italia. Postremò ad proprietatē attribuendam, ut Philippus uir incredibili uirtute, Carolus homo singulari fortitudine. Sed fortè rogabis, si post duo substātiua sequatur adiectiuum, utri substantiuorum conformabitur adiectiuum? Respondeo, frequentiùs cōformari cum dictione apposita, ut Athenæ urbs olim pulcherrima, fucus pecus ignauum, Leo signum cœleste, Tagus flumen rapidißimum. Quòd si fortè à bonis authoribus aliter aliquando usurpatum uideas, ne mirêre, cùm penes eos sit Latinè loquen

di norma, & poßint id sibi authoritatis assumere.]

Postremò illud notabis, uitium siue improprietatem in appositione in hoc consistere, quia duo substãtiua sine coniunctione in eodẽ casu eße non poßunt in oratione. Excusatur tamẽ, tum quia duo illa substantiua ad eãdem rem pertinent: tum etiam quia alterum, hoc est dictio apposita, uices gerit adiectiui, sic enim iungitur apponenti quasi adiectiuum, quod aliquid in substantiuo determinat & exponit, ut urbs Toletum, id est Toletana, urbs Roma, id est, Romana, urbs Athenæ, id est, Atheniensis.

De Prolepsi.

Prolepsis Græca uox est, quæ Latinè uertitur præsumptio, siue præceptio, quòd in ea totũ ueluti præsumatur, deinde partes à toto deductæ sequãtur. De qua tria nobis disputanda sunt, Quid sit prolepsis, quot in ea requirantur, quotuplex sit.

Quid sit Prolepsis.

Prolepsis est, attributio proprietatis toti in suas partes diuiso. Hoc est, quando proprietas (siue ea uerbum sit, siue nomen adiectiuum) attribuitur toti, quod deinde in suas partes distribuitur: ut Aquilæ uolauerũt, hæc ab ortu solis, illa uerò ab occasu. Hic proprietas, uolauerũt, attribuitur toti, quod est aquilæ, deinde totũ diuiditur in suas partes, quibus subintellectè attribuitur proprietas. Nam ea est natura proprietatis in prolepsi, ut expreßè cõueniat cũ toto, subintellectè cũ partibus. Donatus & Dio

medes aliter finiuit. Prolepsis est præsumptio rerum ordine secutarũ. Id est, quãdo aliquid in genere præsumitur, quod per partes postea explicatur. Adducunt in exemplum Vergilianũ illud ex. 12. AEneid. Interea reges procedunt castris, ingenti mole Latinus, deinde Turnus, mox AEneas, postremò Ascanius. Hæc finitio licet uerbis diuersa sit à priori, re tamen ipsa eadem est cum priori.

Quot requirantur in Prolepsi.

Quinque necessaria sunt in prolepsi. Totũ, hoc autem esse potest aut dictio pluralis numeri, ut homines uiuunt, alius in seruitute, alius in libertate: aut nomen collectiuum, ut pars Rempub. gubernabant, alij armis, alij consilijs: aut copulatum, ut Petrus & Ioannes turpiter uitam traducunt, alter in auaritia, alter in prodigalitate. Hic obiter aduertes, totũ debere esse plurale, & nominatiui casus, nam si ponatur in genitiuo, non prolepsis propriè, sed partitio erit, cùm proprietas non conueniat cũ toto: ut humani generis, pars corpus excolit, pars animum. Deinde requiruntur partes, hę autem debent contineri sub toto, id est, debent esse eiusdẽ speciei cum toto: nam si sint diuersæ, non erit prolepsis, ut aquilæ uolauerut, coruus ab oriente, columba ab occidente. Prætereà distributio partium, id est, quòd partes exprimantur: nam si subticerẽtur, non esset propria & germana prolepsis. Tũ proprietas, quæ aut uerbum, aut nomẽ adiectiuum, aut participium esse potest. De uerbo sit exemplũ, metuunt ambo, hic dominum, ille magistrum: de nomi

ne, periti sunt, hic pilæ, ille aleæ: de participio, instructi sunt; hic in Grammatica, ille in Rhetorica. Postremò requiritur ordo, nã totum debet semper præcedere, deinde partes subsequi.

Quotuplex sit prolepsis

Duplex est prolepsis, explicita & implicita. Explicita est, in qua illæ quinq; leges necessariò requisitæ reperiuntur. Implicita uerò, cui aliqua deest conditio. Fit autẽ implicita tribus modis. Primò, quãdo intelligitur totum, ut studemus, tu Grammaticæ ego Philosophiæ: hic intelligitur totum, nos, in studemus. Secundò, quando intelliguntur partes, ut homines inuident, alter alteri: hic deest altera partium, & alter alteri. Tertiò, quando nec totum, nec partes exprimuntur, ut curemus æquã uterq; partem: hic totum, nos subintelligitur, & partes alter & alter includuntur in distributiuo uterq;

Variæ prolepsis genera.

Præter hæc, est & aliud prolepsis genus, cùm id quod posteriùs accidit ante tẽpus describitur. Quale est illud Vergilij, Lauinaq; uenit littora: Lauiniũ enim nõdum erat, cùm in Italiam uenit AEneas. Et apud Sallustiũ Montem Sacrum & Auentinum insedit: qui mõs ob hoc quòd illum plebs insederat, postea Sacer dictus est. Est & aliud genus prolepseos, cùm id quod in aduersarij aut iudicis opinione esse aut fore arbitramur cõtrariũ nobis præoccupamus dicere, & cũ ratione dissoluere. Hac forma prolepsis utũtur rhetores in exordijs potißimùm: sed nos ab huiusmodi generibus prolepsis supsedemus, quia

non ad

non ad Grāmaticos sed ad Rhetores spectāt, neq; inter figuras constructionis, sed elocutionis, aut sententiarum numerantur.

Vltimò obseruabis, uitiū esse in prolepsi in hoc quia proprietas non conuenit cum partibus. Sed excusatur, quia conuenit expresse cum toto, quod est suis partibus nobilius, subintellectè uerò cum partibus. Prætereà etiam excusari potest summorum uirorū autoritate, quos per prolepsim locutos fuisse sæpissimè deprehendimus.

De Syllepsi.

Syllepsis Græcè, Latine *sonat cōceptionem. Sic autem est appellata, quòd in ea numerus numerum, persona personam, casus casum, genus etiam concipiat genus. De hac tria in disputationē uocemus necesse est, quidnam sit, quot modis fiat, quot ad syllepsim requirantur.*

Quidnam sit Syllepsis.

Antequàm syllepsis finitionem tradamus, duas regulas obseruetis necesse est, apprimè ad rē præsentem necessarias. Quarum prior est. Copulatum per coniunctionem, Et, Atque, Que, *& per præpositionem,* Cū, *pro & captam, est pluralis numeri: quare uerbum, aut adiectiuum quod eis apponitur, plurale erit. Vno tantùm exēplo uariato, præceptionē ueram esse cognoscetis. Ego & frater ualemus, ego atq; frater ualemus, ego fraterq; ualemus, ego cū fratre ualemus. Posterior regula est: Copulatū pluralis numeri, est illius personæ & generis, cuius est pars dignior. Dignior autem est persona prima quàm*

secunda, & dignior secunda quàm tertia, dignius masculinum genus quàm fœmininum: & fœmininũ quàm neutrum. Quocircà *cùm copulatum est prima persona & secunda, totum fit primæ personæ, ut ego & tu studemus. Cùm secunda & tertia, totum fit secundæ, ut tu & frater studetis. Prætereà cùm copulatum fit ex masculino genere & fœminino, totum fit masculini generis, ut rex & regina iustißimi.* Cùm *ex masculino & neutro, fit etiam masculinum, ut dominus & mancipia pugnaces.* Cùm *ex fœminino & neutro, totum fit fœminini generis, ut leges & plebiscita coactæ.* Præter hoc, *non est aliud simile exemplum: usus nanque authorum obtinuitt ut per neutrum loquamur, ut paulò inferiùs patebit.*

His *in hunc modum prælibatis, sine quibus sequentia intelligi facile non possent, definiamus syllepsin.* Syllepsis *est, discontinuata siue interrupta diuersarum dictionum sub plurali proprietate conceptio.* Discontinuata *siue interrupta.* Quia *inter dictionem concipientem & conceptam debet esse media coniunctio siue expressa, ut,* Et, Que, Atq; *siue subintellecta, ut* Cum *pro &.* Diuersarum *dictionum.* Nam *concipiens & conceptum res diuersas significare debent: nam si idem significent, nulla erit* Syllepsis, *ut corpus & anima* Ioannis *sunt* Ioannes. Sub *plurali proprietate, quia cùm copulatum æquipolleat plurali, proprietas siue ea uerbum sit, siue nomẽ adiectiuum, siue participium, debet esse necessariò pluralis. Alij aliter Syllepsin finiũt*

Sylle-

Syllepsis est indignioris ad dignius adiūctio. Quæ finitio ex praecedentibus intellectu facillima est.

Quot modis fiat syllepsis.

Fit Syllepsis quatuor modis. Primū, *in genere, quando genus masculinum concipit fœmininum, ut rex & regina fortunati: aut fœmininum neutrum ut in eo exemplo superiùs à me adducto, lex & plebiscita coactæ. Hîc unum notabis, quando substantiua in conceptione generum res inanimes significant, tunc adiectiuum quod eis adiungitur, elegātiùs & usitatiùs soleri poni in neutro genere: ut calceus & subucula sunt detrita, calamus & atramentum sunt scribenti necessaria: item in sacris, uirga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt.* Porrò *conceptio generis duplex est, explicita & implicita.* Explicita *est, in qua genus concipiens et conceptum exprimuntur, ut exemplis superioribus patēre potest. Implicita uerò, in qua nec concipiens, nec conceptum genus explicantur, sed de mare atq; fœmina perinde loquimur, ac de solo mare: ut si dixerim, uterque est formosus, loquens de sponso et spōsa. Hæc autem quinque modis fieri solet.* Per distributiuum, *ut uterq; sunt probi (semper debet de uiro et fœmina fieri locutio) per particulare, ut alter horum loquitur: per demōstratiuum, ut hi sunt christiani: per quæsitiuum siue interrogatiuum, ut quis horum sexum mentitur? per substantiuum, ut* Latona *peperit geminos,* Apollinem *scilicet et* Dianam. Secundò, *in numero, quando pluralis nu*

merus concipit singularem, ut milites & imperator fortißime pugnauerunt. Simile est illud Vergilianum in Bucolicis Ecloga prima, sunt nobis mitia poma, castaneæ molles, & preßi copia lactis. Tertiò, in persona, cùm prima secundam & tertiam, & secunda tertiam concipit: ut ego & tu deambulamus, ego & ille deambulamus, tu & ille deambulatis. Quartò, in casu, cùm nominatiuus comprehendit ablatiuum cum præpositione, Cum, ut, Virg. primo AEneid. Remo cũ fratre Quirinus iura dabunt: id est, Quirinus & frater Remus. Et hæc dicitur à Gramaticis conceptio indirecta, cùm uidelicet rectus concipit obliquum: erit autẽ directa, quãdo rectus rectum concipit, quod contingit, quando fit copulatio per Et, Que, Atque.

Quot requirantur in Syllepsi.

Requiruntur quinq; in syllepsi, dictio concipiẽs, quæ dignior est genere, numero, & reliquis accidẽtibus. Dictio concepta, quæ his omnibus indignior est. Copulatiua coniunctio, sub qua intellige, Cum, copulatiuè sumptam. Proprietas, per quam intellige aut uerbum, ut ego & tu diligenter Ciceronem uersamus: aut nomen adiectiuũ, aut participium pluralia, ut sponsus & sponsa uerecundi, frater & soror bonis moribus instructi. Postremò quòd proprietas concordet cũ dictione concipiente.

Tandem notabis syllepsi hoc inesse uitij, quòd aut uerbum nõ conformatur cum recto, aut adiectiuam non respõdet substantiuo in debitis accidentibus. Sed

excuſatur, quia copulatum æquipollet plurali, & eſt eius generis & perſonæ, cuius eſt pars dignior.

De Zeugmate.

Zeugma Græca uox eſt, quæ Latinè repræſentat colligationem, adiunctionem, ſiue copulatũ: quòd in Zeugmate duæ diuerſæ clauſulæ per unam proprietatem (ſiue ea uerbum ſit ſiue nomen adiectiuũ ſiue participium) colligentur, coniungantur, atque in unum ueluti conglutinentur. Hoc autẽ fit, ne crebra eiuſdem uerbi repetitione legentium animis faſtidium ingeneretur. De Zeugmate igitur quatuor adducenda ſunt in quæſtionem. Quidnã ſit, quot modis fiat, quot ad eam figuram requirantur, & quot ſint eius ſpecies.

Quid ſit Zeugma.

Zeugma eſt unius proprietatis, uiciniori reſpondentis, ad diuerſa reductio: ad unum quidẽ expreſſe, ad alterum per ſupplementum. Hãc finitionem diligenter exponamus: ſunt enim multa, nec uulgaria illa quidem, in ea concluſa.

Vnius proprietatis reductio. Id eſt, repetitio unius uerbi, uel adiectiui, uel participij: id enim debes per proprietatem intelligere. De uerbo ſit exẽplum. Erraui ego, & multi: ubi idem uerbum ad diuerſas clauſulas repetitur. De adiectiuo, maritus & uxor formoſa. De participio, cœli mouẽdi ſunt, & terra. In utroque fit ſiue adiectiui, ſiue participij ad diuerſa repetitio. Viciniori reſpondentis. Nam in Zeugmate ſemper proprietas debet uiciniori reſpon

spondere: ut ego scribo, & tu, & Cicero: ego & tu scribis: & Cicero: ego & tu, & Cicero scribit. Tribus tamen modis potest remotiori supposito respondere, aut quando est in oratione particula similitudinis, ut ego, sicut fœnum, arui: aut comparationis, ut ego melius quàm tu scribo: aut exceptionis, ut nulla, nisi tu, talem filium pareret. Ad unum expresse, ad alterum per supplementum. Quia in Zeugmate proprietas propinquiori supposito expresse conuenit, remotiori uerò per subintellectionem quandam, ut in subiectis exemplis uidere licet.

Ex finitione colliges tres esse differentias inter Syllepsin & Zeugma. Prima est, Quia in syllepsi attenditur dignitas, cùm in ea sit proprietatis cum digniori conformatio: in zeugmate propinquitas, cùm proprietas propinquiori respondeat. Secunda, proprietas in syllepsi omnibus suppositis ita coniunctim attribuitur, ut uniuersa ab una proprietate simul concipiantur: in Zeugmate uerò singulis disiunctim atq; diuisim reddatur oportet. Tertia, In syllepsi proprietas necessariò pluralis esse debet: in zeugmate uerò aliquando singularis, aliquando etiam pluralis, ut uos pecauistis & ego. Hæc omnia attentiùs considerent publici professores, nam hic uideo quàm plurimos Grammaticos cæcutire. qui cùm tanta inter syllepsin & zeugma intercedat similitudo, uix sciunt discernere, quidnam sit inter utranque discriminis.

Quot modis fiat zeugma.

Tribus modis fit zeugma. In persona, ut ego & tu

tu uiuis. In genere, rex & regina est irata. In numero, Cicero in Catilinam, Nihil ne te hic munitißimus senatus habẽdi locus, nihil horũ ora, uultusq; mouerũt? Si queras an fieri posit zeugma per casus obliquos? Respondeo fieri posse, non secus atq; per rectum, ut memor ero tui, & patris: patrocinabor tibi & patri: non tantùm te diligenter instruam, sed & fratrẽ & discipulos omnes, Idẽ de reliquis obliquis dictum uolumus.

Quot requirantur in zeugmate.

Requiruntur tria in zeugmate. Plura substantiua. Copula, quæ esse potest copulatiua, ut ego et frater in studio literario desudat: disiunctiua, ut soluã tibi, uel frater meus: continuatiua, ut remiße ego laboraui, tu autem uehementer: exceptiua, nullus studet, nisi ego. Fit etiã per aduerbia, ut cubas ubi ego cœnas quando nos. Vltimò, Proprietas quæ cõueniat cũ propinquiori substantiuo. Monui iam in finitione explicanda, per proprietatem, aut uerbum, aut adiectiuum aut participium intelligi debere.

Quot sint species zeugmatis.

Tres sunt zeugmatis species. Protozeugma, quando proprietas ponitur in principio, ut ego dormio, & tu & frater. Mesozeugma, quando in medio, ut ego & tu dormis, & frater. Hypozeugma siue Hysterozeugma, quando in fine, ut ego & tu & frater dormit. Est et aliud genus zeugmatis: quãdo eadem proprietas nõ inmutata cum diuersis suppositis conuenit, ut nihil te horum ora, nihil uultus mouerunt? ubi uerbum. mouerunt, ad diuersa reducitur

citur

tur supposita sine ulla immutatione. Ioannes fuit pis cator, ut Petrus: ubi uerbum, fuit, in nullo immutatũ ad diuersa repetitur, uerùm hoc genus zeugmatis elocutionis est, non constructionis.

Illud tandem addamus, uitium in zeugmate contra concordantiã nominatiui cũ uerbo, adiectiui cũ substãtiuo esse. Verũ excusatur, quia proprietas conuenit cum propinquiori expreße, cum remotiori uerò per supplementũ: atque ita tã Poëtis quàm Oratoribus permittitur.

De Antiptôsi.

Antiptôsis Latinè sonat, casus pro casu positionem, dicta est enim ab anti particula, quæ pro significat aliquando, & ptôsis casus, quasi casus pro casu positio. De qua duo tantùm breuiter expedienda sunt, quid sit, & quot in ea requirantur.

Quid sit Antiptôsis.

Antiptôsis est casus pro casu positio, sub aliqua proprietate. Duas partes cõplectitur definitio. Prior est, casus pro casu positio: ut urbem, quam statuo, uestra est, pro urbs. Sermonem quẽ audistis, non est meus, pro sermo. Quòd si in his & similibus locutionibus relatiuum præcederet antecedẽs, nulla fieret antiptôsis, sed sermo esset omnis elegãtię et lepôris plenus: ut quam urbem statuo uestra est: quem sermonem audistis non est meus. Huius autem dissimilitudinis ratio est, quia in prioribus locutionibus antecedens & relatiuum à diuersis reguntur uerbis, in posterioribus uerò ab eodem, atque inde fit, ut alibi fiat antiptosis, alibi non. Hic unum

notes

notes oportet, antiptôsin fieri posse per omnes casus. Per nominatiuum, id ætatis, pro eius ætatis: salue primus omnium parens patriæ appellate, pro prime. Per genitiuum, cùm illius diei mihi uenit in mētem, pro ille dies. Per datiuum, Inferretq; Deos Latio, pro in Latium. Per accusatiuum Teren. in eunucho, Eunuchū, quē dedisti nobis, quas turbas dedit, pro Eunuchus. Per uocatiuum, Persius. Satyra. 3. Censoremq; tuum uel quòd Trabeate salutas? pro Trabeatus. Per ablatiuum, hæret pede pes, pro pedi. Posterior pars finitionis est, sub aliqua proprietate. Per proprietatem intellige uerbum, cuius gratia fit, ut casus pro casu ponatur.

Quot in Antiptôsi necessaria sint.

Requiruntur tria in Antiptôsi. vnum subiectum, quod substantiuū esse solet, & in diuerso casu, quàm ratio uerbi postulabat, collocari. Vna proprietas, quæ communiter uerbum est. Et quòd casus ponatur pro casu.

Vitium in antiptôsi, est contra naturalem uerborum constructionem, quæ cùm sua natura certum determinatumq; casum regant, casus ille per antiptôsin in alterum mutatur. Excusatur tamen, quia casus ponitur pro casu. Neque existimes, licere tibi in omnibus uti pro arbitratu hac figura, sed in ijs tantùm, in quibus possis tuam audaciā excellentium uirorum authoritate purgare.

De Synthesi.

Synthesis graecè, latinè interpretatur compositio, à syn, id est, cō, & thesis positio: quia est compositio quaedam non uoce, sed significatione congrua. De hac tria discutienda nobis sunt, Quid sit, quot modis fiat, & quot sint ad Synthesin necessaria.

Quid sit Synthesis.

Synthesis est, atributio proprietatis uni uel pluribus copulatis, non gratia uocis, sed significati. Singulas partes finitionis expendamus. Attributio proprietatis uni Hoc est, quando proprietas uni tātùm attribuitur, ut, O uerè digna hostia, per quem fracta sunt tartara. Hic proprietas quem, attribuitur uni tantùm Christo contento sub hostia. Vel pluribus copulatis. Nam aliquando proprietas non uni tantùm attribuitur, sed pluribus, qui sub una uoce continentur, ut pars infrusta secant: hic proprietas secant, pluribus attribuitur, qui sub ea uoce, pars, conclusi sunt & copulati. Non gratia uocis, sed significati. Quia in hac figura nulla habetur uocis ratio, sed tantùm significatus, atque inde procedit apparens illa incongruitas. Alij finiunt in hunc modū. Synthesis est oratio non uoce, sed significatione congrua. Quae finitio multò magis perspicua est.

Quot modis fiat Synthesis.

Fit autem Synthesis tribus modis. Primò, in genere tantùm: idq; aut sexus discernendi causa, ut anser foeta, elephantus grauida: aut supplementi causa, ut Praeneste sub ipsa, scilicet urbe, Centauro in magna, supple naui. Secundò, in numero tantùm, ut

turba ruunt, utraq; formosa: Tertiò, in genere & numero simul, ut gens armati, pars mersi, turba proterui.

Ex his colliges, Synthesin pugnare planè contra tria concordantiç prçcepta, nominatiui scilicet & uerbi, adiectiui & substantiui, relatiui & antecedentis. Fit primò Synthesis in nominatiuo & uerbo, per nomen collectiuum, ut pars secant, ingēs hominum frequentia conuenêre. Tum per nomen distributiuum, ut uterque insaniunt, pro salute quisque pecunias contulere. Deinde per particulare (quod rarius est) ut aperite aliquis ostium. In his omnibus, nominatiuus cum uerbo non concordat in numero. Fit etiam Synthesis in adiectiuo & substā uo. Distinguendi sexus gratia, ut anser fœta. Supplementi causa, ut Eunuchus Terentiana, scilicet comœdia aut fabula. Ratione nominis collectiui, ut maxima pars uirgis cæsi, ac securi percussi sunt. Ratione distributiui, ut uterque missi sunt magnis de rebus legati. Aut quando cōcretum sumitur pro abstracto, ut Teren. in Eunucho, Postquàm ille scelus ludificatus est: scelus pro scelerato. In his omnibus, adiectiuum discordat à substantiuo in genere aut in numero. Fit postremò Synthesis in relatiuo & antecedenti modis etiam quinque. Primò, discretione sexus, ut anser quæ incubat ouis. Secundò subauditione, ut species est, quod prædicatur: scilicet uniuersale. Tertiò, collectione, ut pars qui uehebantur equis. Distributione, ut uterque occisi sunt, qui graues simultates gerebāt. Aut quādo fit relatio ad

abstractum, non ad cōcretū. Teren. in andria, Vbi est ille scelus qui me perdidit, scel⁹, i d est nimiū scele ratus. In his omnibus relatiuum discordat ab ante cedenti in genere, aut in numero. De *quib⁹, satis co piose disseruimus in tractatu de cōcordantia: libuit tamen hic eadē obiter repetere, ne quicquam huic figuræ necessarum silētio prętermisisse uideremur.*

Quot spectanda sint in synthesi.

In Synthesi requiruntur tria. Vnum subiectum uel plura copulata: per quæ intelliges nomina substā tiua, cum quibus proprietas cōcordat in significatu, non in uoce. Proprietas, per quam intellige aut uer bum, nt pars secant: aut nomen adiectiuum, utraque formosæ: aut participium, pars uulnerati: aut rela tiuum, pars qui uehebantur equis. Postremò necessa rium est, ut proprietas cum subiecto aut copulato conueniat, non in uoce, sed in significatione.

Vitium est in Synthesi cōtra tria concordantiæ præ cepta sed excusatur, tum ratione, quia in ea attendi tur nō uox, sed significatio tum etiā Poëtarum *& Historiographorū authoritate, quos ita locutos fuis se paßim legimus.*

De synecdoche

Synecdoche interpretatur comprehensio, quia in ea id quod est partis, attribuitur toti, & quodammodo sub toto comprehenditur. Huius tria erunt tātum præcepta: quid sit, quot sint ad eam constituendam necessaria, quotuplex sit.

Quid sit synecdoche.

Synecdoche est, attributio partis ad totum sub proprietate uerbi, uel participii, uel nominis ad-

iecti-

ſectiui. Duo membra continet præſens finitio. Prius eſt, Attributio partis ad totũ. Hoc eſt, cùm id quod partis eſt, attribuitur toti: ut AEthiops albus dentes: hic album quod ſolis dentibus conuenit, toti attribuitur AEthiopi, poſterius eſt, ſub proprietate uerbi, uel participii, uel nominis adiectiui Hoc adiectum eſt, ut intelligas hanc figuram tantùm fieri per has tres orationis partes, uerbum, participium, nomen adiectiuum. Per uerbum, aut neutrum aut paßiuum, ut micat auribus, expleri mentem nequit. Per participium, ut nodoq; ſinus collecta fluentes. Per adiectiuũ, ut niger oculos. Reſoluuntur huiuſmodi locutiones per uerbum habeo, aut per habens participium inde deductum,

Quot ſint in ſynecdoche neceſſaria:

Quatuor requiſita ſunt in Synecdoche. Totum, quod nomen ſubſtantiuum eſſe ſolet in recto appoſitum. Proprietas, quæ (ut in diffinitione explicatũ eſt) uerbum, aut nomen, aut participium eſſe poteſt. Pars, quæ ſecundum poëtas ſemper in accuſatiuo ponitur, ut æger pedes, ſaucius frontem: ſecundum uerò Hiſtoricos, quos nobis hac in re ad imitationẽ proponere debemus, in ablatiuò, ut æger pedibus, ſaucius fronte. Poſtremò requiritur, ut proprietas cum toto conueniat, cum parte minimè, ut horridus barbam: hic, horridus cum toto conuenit, non cum barba quę pars eſt.

Quotuplex ſit Synecdoche.

Eſt autem duplex Synecdoche, conſtructionis, & locu

locutionis. Rursus quæ constructionis est (de qua in præsentia est sermo) duplex est, directa & indirecta. Directa est, quando pars quæ regitur à toto, est propria totius, ut ex superioribus exemplis liquidò cõstare potest. Indirecta uerò est, quãdo pars quæ à toto regitur, totius propria non est, ut albus uestes, uestis enim non est, pars totius. Locutionis est, quæ in elocutione tantùm spectatur. Hæc autem sex modis fit. Primò cùm ex uno plures intelligimus ut Romanus prælio uictor pro Romani, Pœnus fugatus pro Pœni. Secundò, cum pars sumitur pro toto, ut mucro pro gladio, tectum pro domo. Tertiò cùm totum pro parte. Fontemq; ignemq; ferebant, pro parte aquæ & ignis. Quartò cùm species pro genere: iracundior Adria, pro quouis mari. Quintò cũ materia pro re ex ea cõfecta uti ferrũ pro gladio, abies aut pinus pro naui. Sextò cùm ex præcedẽtibus intelligimus sequẽtia: subdidit equo calcaria, id est cucurrit. Breuiter, cùm quocunq; modo aliud ex alio intelligitur: uixerũt pro mortui sunt. Nos quoque floruimus & fuimus Troes: id est. floridæ fortunæ nostræ deciderunt, & uires nostræ calamitatibus fractę, & infortuniis attritæ sunt.

Vitium in Synecdoche illud eße apparet, quòd cùm id quod est partis, tribuatur toti, totum tamen non regit partem, aut in genitiuo aut in ablatiuo, in quibus solet, sed in accusatiuo. Excusatur Poëtarum authoritate, apud quos non infrequens est huiusmodi locutio: quare & nobis etiam in carmine simili dicendi figura uti licebit. Atque de figuris cõ-

structionis hæc quidem satis.

In his omnibus placuit non nimis compendiosa aut effœminata, sed plena ac neruosa uti disputatione. Sunt enim quidam adeò molles, delicatuli, & sui ipsorum indulgentes, ut neglecta graui rerum tractatione, compendiolis quibusdam delectentur: quæ ego existimo ab hominibus otiosis, oscitabũdis, ignauiæ ac socordiæ mancipatis in studiosorum perniciẽ & bonorum ingeniorum corruptelam (quantũ euẽtu patuit) excogitata fuisse. Video enim non tantùm humaniora, sed Theologica etiam studia, non leue damnũ fecisse, postquàm à Germanis leui ac suspensa manu tractari cœperunt. Qui ut ad nocturnam diurnãque crapulam, & libidinem corporis explendam spatiũ aliquod tẽporis superesset, huiusmodi inuenerunt cõpendia: ex quibus (proh dolor) non literarum tantùm omnis generis, sed religionis, ac Dei rerũ omniũ præpotentis & diuorum cultus grauissima consecuta sunt dispendia. Nullus igitur audeat nostros de Syntaxi & Prosodia commẽtarios, aut præsentem hunc tractatum prolixitatis aut superfluitatis posthac insimulare. Neq; enim ea prolixa dicẽda sunt, aut nimis longa, sine quibus mãca esset ac mutila susceptæ materię disceptatio: neq; superuacua, sine quibus puerorũ & studiosorũ adolescentium animi adeò ieiuni, sicci, & steriles redderentur, ut nullam quotidiani laboris mercedem, nullos studiorum fructus sibi in posterum referre possent.

FINIS.